



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**


**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

I. Pars Meditationvm. Ab Aduentu vsque ad Septuagesimam:

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)



PRIMA PARS  
**MEDITATIO.**  
 N V M.


AB ADVENTV VSQVE  
 ad Septuagesimam.

*De precipuis Verbi incarnati, nati, &  
 priuatam vitam agentis, my-  
 sterijs.*

**S**icut omnium mirabilium Dei  
 operum mirabilissimum, om-  
 nium diuinorum beneficio-  
 rum diuinissimum, omni-  
 um sublimium mysteriorum  
 sublimissimum est incarnati, & nati ex  
 Virgine, æterni Verbi mysterium; sic  
 conueniens est, vt anima eiusdem, te-  
 nerrimo pietatis sensu, intimo gratitu-  
 dinis affectu, supremo amoris excessu,  
 ab omnibus veris, germanisque Eccle-  
 siæ filijs recolatur memoria: neq; id so-  
 lum per ardentem piorum affectuum  
 admirationis, reuerentiæ, gratitudinis,  
 A. amo.

amoris, aliorumque frequentationem, verum etiam per strenuam virtutum eiusdem Verbi incarnati imitationem.

Ad quod vtrumque facilius assequendum, plurimum conferent sequentes de præcipuis Filij Dei Incarnati, nati, vitamque priuatam agentis mysterijs, eximijsque virtutibus assignatæ in singulos dies à prima Dominica Aduetus vsque ad Septuagesimam meditationes, si attentè singulæ expendantur, affectus in ijs insinuati deuotè eliciantur, piaque inde concepta desideria, interdum sæpius renouentur, & in praxin redigantur. Omnes enim, etiam si aliæ alijs prolixiores, aliæ succinctiores sint, & solidorum discursuum, simul ac piorum affectuum valdè feraces, & ad heroica, eximias Saluatoris nostri virtutes imitandi desideria concipienda efficaces esse deprehenduntur.



Dominica I. Aduentus.

2. Hebdomadæ Aduentus.

De ingressu Christi in Ierusalem. Mat. 21.

Quam vide Domin. Palmarum. 2. part. Meditat.

Vel sequens:

De aeterno Dei consilio circa hominis creationem, eiusdemque lapsi reparationem.

I. Meditatio.

PRæmissa oratione præparatoria, iuxta industrias meditandi, breuiter formanda in quavis meditatione præsupponuntur tria præludia, in materia historica; quorum Primum est historię breuis rememoratio. Secundum, imaginatio aliqua materię accommodata, qualis in hac & sequentibus de incarnationis mysterio meditationibus esse posset visio imaginaria Dei trini & vnius in throno splendidissimo residentis, iride, simbolo misericordię, tribus coloribus, potentię, sapientię, bonitatis distincta circumdati, sortem miserabilium hominũ, humi iacentiũ, vulne-

Apos. 4.

A 2

rato-

ratorum, feminiuorum miserè in peccatis pereuntium, paternè miserantis. Tertium, est petitio gratiæ eliciendi affectus congruos in singulis insinuatos pro cuiusque deuotione, & spirituali necessitate.

*Prou. 15.*

I. PUNCTVM. Deus trinus & vnus decreuit ab æternitate duas creaturas diuinæ suæ gratiæ & gloriæ capaces, Angelicam & humanam condere in tempore. Circà quod expendendum, quòd Deus sibi sufficientissimus, nullius indigens, vniuersa propter semetipsum operans, à nullo dependens, non ex necessitate vlla vel indigentia, sed ex fecunditate & abundantia infinitæ bonitatis suæ & liberrimo voluntatis beneplacito has duas naturas ab æterno constituerit ad imaginem & similitudinem suam creare, & quidem adedò nobiles memoriâ, intellectu, liberâ voluntate tot tantisque naturæ dotibus præditas & consequenter omnes & singulos Angelos & homines talibus peculiaribus donis ornatos, tali loco, tali tēpore, prout iam constat esse factum, ac deinceps fieri quoad homines nascituros vsq; ad mundi consummationem: ad finem supernaturalem adedò sublimem, scilicet ad Creatorem suum cognoscendum, amādum

poss.

possidendum per fidē, spem, charitatem  
in viā; per visionem, amorem & fruiti-  
onem beatificam in patriā. Quam gra-  
tuita & infinita illa diuina bonitas!  
quā mira & inestimabilis illa chari-  
tas! quā meritō ab omnibus Angelis  
& hominibus, imprimisque à te, tot  
specialibus gratijs gratis præuento, ta-  
lis amator esset redamandus? Hic exci-  
tandus affectus admirationis, amoris,  
zeli gloriæ Dei, iuxta indust. medit. c.  
5. 6. 7.

II. Ad finem illum vltimum conse-  
quendum præordinauit ab æterno vtri-  
que tam Angelicæ quā humanæ na-  
turæ suauia, & efficacia media cuique  
proportionata. Vbi considera quot,  
quā varijs, quā eximijs supernatu-  
ralibus gratiæ donis omnes & singulos  
Angelos in cælo empyreo ab initio cō-  
ditionis suæ statuerit decorare, habitus  
fidei, spei, charitatis, religionis, alia-  
rumque virtutum in impari quidem,  
sed excellenti gradu singulis pro inscri-  
tabili consilio voluntatis suæ infun-  
dendo, scientiam eximiam diuinorum  
mysteriorum, & plurimarum rerum  
supernaturalium iisdem impertiendo:  
quot quantisque item donis superna-  
turalibus protoplastos parentes in ter-  
restri

restri paradiso decreuerit ornare, fidem, spem, charitatem, virtutes omnes supernaturales, omniumque charismatum Spiritus Sancti plenitudinem, cum insignium rerum diuinarum humanarumque scientia largiter infundendo, stolam innocentiae originalis superaddendo; insuper tot ijs ad finem vltimum pertingendi assignando vias, quot conditurus esset creaturas. Quam immensa illi Dei liberalitas! quanta illi proinde gratiarum actio debetur! Hic excitandus affectus gratitudinis, & contritionis, de nostra, omniumque ingratitude, pro tot tantisque gratijs.

III. Præuidens Deus vtriusque prædictæ creaturæ donis acceptis ex propria liberi arbitrij electione ab usure lapsus, ab æterno constituit in angelos præuaricantes exferere rigorem iustitiæ; erga hominem lapsus ostendere superabundantiam misericordiæ. Hic primum expendenda infinita Dei iustitia, qui uti in tempore *Angelus peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni de tractos in tartarum tradidit cruciandos*: sic ab æterno decreuit eos absque vlla spe veniæ vnquam obtinendæ post primum peccatum reprobare, æternumque à facie sua proijcere. O quam verè

2. Petr. 2.

insti-

*iustitia tua, sicut montes Dei, & iudicia tua* *Psalm. 35.*  
*abyssus multa !* Hic concipiendus castus  
 timor Domini, & horror cuiusvis pec-  
 cati.

Deindè ponderanda immensa Dei  
 misericordia erga homines iam infixos  
 in limo profundi, & reos gehennæ i-  
 gnis, quos ab æterno interitu vindicare  
 tam misericorditer decreuit, & quidem  
 gratis ex abundantia gratuitæ benigni-  
 tatis suæ. O quam verè dixit Apostol.  
*apparuit benignitas & humanitas Salvato-* *Tit. 3.*  
*ri nostri Dei, non ex operibus iustitia, qua*  
*fecimus nos, sed secundum suam misericor-*  
*diam saluos nos fecit !* His expensis exci-  
 tanda compunctio de nostra ingrati-  
 tudine pro tanta misericordia exhibita,  
 cum spe veniæ & gratiæ obtinendæ.

*De decreto Incarnationis Filij Dei.*

II.

**I**DEUS trinus & vnus non solum sta-  
 tuit ab æterno hominis lapsi mise-  
 reri, sed ex lapsu eius malo omnium  
 maximo elicere maximum bonum ad  
 maximam suam, hominisque gloriam;  
 & diaboli, per quem homo seductus  
 erat, confusionem: idque duas potis-  
 simum ob causas, quarum prima  
 erat, quod culpam, pœnamque præ-  
 uaricationis Adæ præuideret in po-  
 steros eius transfundendam, ideo-

que ob vnius culpam omnes æternæ mortis reos nascituros, misere que perituros, adeo que spectabilem hunc mundum vniuersum hominis causâ conditum finē suo frustrandum, nisi misericordia tantæ humani generis miseriz subleuandæ exhiberetur: altera, quod præuideret, hominem non ex propria malitiâ & proterniâ peccaturam, sed astutiâ diaboli eius felicitati inuidentis, & in Deum ipsum rabiem suam exercentis ad peccatum inducendum. Reuerenter hic suspiciendum inscrutabile consilium infinitæ sapientiæ Dei, qui

*D. Aug. melius iudicauit de malis benefacere, quam  
Ereb. ca. mala nulla permittere. O altitudo diuitiarum  
21. 26. 27 sapientiæ & scientiæ Dei, quam in-  
Rom. 11. comprehensibilia sunt iudicia eius, & inue-  
stigabiles viæ eius! Affectus admirationis,  
gratitudinis subiungendi.*

II. Idem Deus in arcano æternoq; inscrutabilis sapientiæ suæ consilio præuidentis plurima reparationis humanæ mediâ, cuiusmodi erant, ex merâ misericordiâ culpam condonare: aut creare nouum hominem, qui pro cæteris satisfaceret: aut Angelo alicui hanc curam demandare, elegit conuenientissimum & excellentissimum, videlicet incarnationem vnigeniti Filij, qui ho-

mo factus pro homine lapso, ex rigore  
iustitiæ superabundantissimè satisfacere,  
ut *ubi abundavit delictum, superabun-* Rom. 5.  
*daret & gratia.* O infinita Dei bonitas  
& misericordia, quantum abundantiam  
pietatis tuæ nostras excedis spes & vo-  
ra! O felix culpa, quæ talem ac tantum  
meruit habere redemptorem! O quan-  
tus tanto amoris reciprocus debetur a-  
mor! Affectus amoris Dei, zeli perfecti  
ei per omnia placendi exercendi.

III. Filius Dei in eodem arcano San-  
ctissimæ Trinitatis consilio ultro se of-  
fert æterno Patri ad tam arduum redē-  
ptionis humanæ opus suscipiendum eo  
tempore & modo, quo iam fide constar  
esse peractum, iuxta illud: *Sacrificium &*  
*oblationem noluisti, aures autem perfecisti* Psal. 29.  
*mihî: vel corpus autem apstisti mihî, tunc* Hebr. 10.  
*dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est*  
*de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.*

Et D. Bernard. *Quid agat Filius videns* Serm. 1.  
*pro se zelare Patrem, & nulli penitus parce-* de Advē-  
*re creatura? Ecce, inquit, occasione mei crea-* 14.  
*turas suas Pater amittit, altitudinem me-*  
*am primus Angelus affectavit, & populum*  
*qui sibi crederet habuit: sed continuo Patris*  
*zelus graviter vindicavit in illum, percuti-*  
*ens eum pariter cum omnibus suis plagâ in-*  
*curabili, castigatione crudeli. Scientiam*

quoque, qua nihilominus mea est, surripere homo voluit: & ne illi quidem miserus est, nec pepercit oculus eius. Nunquid de bobus cura est Deo? Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet atque hominem: sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines uniuersos. Ergo ut sciant, quia & ego diligo Patrem: per me recipiat, quos quodammodo propter me amisisse videtur. Si propter me tempestas haec orta est (ait Ionas) tollite me, & mittite in mare. omnes inuident mihi. Ecce venio: & talem eis exhibeo metipsum, ut quisquis inuidere voluerit, quisquis gestierit imitari, fiat ei emulatio ista in bonum. His expensis, affectus gratitudinis, amoris, resignationis subdendi.

Ion 1.

### III. De eodem decreto Incarnationis, ex D. Bern. ser. I. De Annunc.

UT hoc maximum pietatis Sacramentum luculentius apprehendatur, affectuosiusque expendatur, expedit ex D. Bern. l. c. in illud: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculate sunt: hoc decretum in arcano Sanctissimæ Triados consilio sic factum humano more nostro considerare.

Psal 38.

I. Præ-

I. Præciso lapsu Adæ astutiâ diaboli de-  
 cepti, hinc diuina misericordia & pax  
 Patrem misericordiarum his pijs susur-  
 ris ad misericordiam misero exhiben-  
 dam instigabant: *Nunquid in æternum Psal. 76.*  
*proiciet Deus, aut non apponet, ut complaci-*  
*tior sit adhuc? Nunquid obliuiscetur misereri*  
*Deus, aut continebit in irâ misericordias*  
*suas?* En miseratione eget creatura ra-  
 tionalis, quoniam misera facta est &  
 miserabilis nimis. *Vbi misericordia tua Psal. 88.*  
*antiqua Domine?* Ut quid ergò me ge-  
 nuisti Pater, cuius miserationes su-  
 per omnia opera tua, citius peritu-  
 ram? scit enim veritas ipsa, quoniam  
 misericordia tua periit, & nulla est,  
 si non aliquando miserearis. Isthinc  
 verò iustitia & veritas accinctæ gla-  
 dio ancipiti ad faciendam vindictam  
 contrâ instabant, & clamore valido  
 vociferabantur: vsquequo peccatores  
 Domine, vsquequo peccatores glo-  
 riabuntur, effabuntur, & loquen-  
 tur iniquitatem? oportet impleri ser-  
 monem, quem locutus es, *qui fidelis es*  
*absq; vlla iniquitate, iustus & rectus.* To-  
 tus moriatur Adam necesse est cum om-  
 nibus, qui in eo erant, qua die vetitum  
 pomum in præuaricatione comedit.  
 Quis enim nesciat, quod si prædictam

sibi præuaricator sententiam mortis euaserit, periit, nec permanebit in æternum veritas tua. *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes qui obliuiscuntur Deum. Iustus es Domine & rectum iudicium tuum. Iustitiam ergo dilige, & oculi tui videant equitatem.* Quid hic faceret Pater infinite misericors & iustus: in partes misericordiæ & pacis concedere innata quidem suadet benignitas: at in præiudicium iustitiæ id attentare congenita vetat veritas. Et tactus dolore cordis intrinsecus, ingemiscens ait: *penitet me fecisse hominem.* O inæstimabilem peccati grauitatem, quæ infinitam sic contristat bonitatem, lacescit iustitiæ gladium, claudit misericordiæ sinum! Affectus intimæ contritionis hic exercendus.

II. Audiens hanc grandem controuersiam Unigenitus Patris, præuidensque peremptorium æternæ mortis decretum in hominem præuaricatorem mox ferendum, nisi illi misericordia exhiberetur, simulque sentiens paterna viscera commoueri, atque in mitiorem partem propendere, suoque insuper torius litis decisionem relinquere arbitrio, pro infinitâ suâ sapientiâ in hanc formam decretoriam concepit sententiam:

*Psal. 9.*

*Psal. 118.*

*Psal. 10.*

am: Hæc dicit: Perij, si Adam non moriatur: & illa dicit: perij, nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, & habet vtraque quod petit: quod fiet, si ex caritate innocens moriatur quis, qui nihil debeat morti. Obstupère omnes in verbo sapientiæ, & forma iudicij, cum manifestum esset, nullam eis querimoniæ ansam relinqui, si fieri posset, quod vtraque petebat, per eum scilicet, qui innocens ex caritate, non necessitate moreretur. Sed eheu! cum iam vicisse misericordia, & præuaricator respirasse videretur, en noua oritur controuersia tantò desperatior, quantò intricatior. Quæritur, & nusquam inuenitur ille innocens, qui mori velit non ex debito, sed ex voluntate, non ex malo merito, sed beneplacito suo. Circumit veritas orbem terræ, & nemo reperitur mundus à forde, nec infans, cuius est vnus diei vita super terram. *Omnes declinauerunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* *Psalm. 137.* Sed & misericordia cælum omne perlustrat, & in Angelis quoque, ne dixerim prauitatem, minorem tamen inuenit charitatem. Quid in re adeò desperata faceret misericordia? pergit nihilominus vigere Patrem misericordiarum,

suggerens posse talem innocentem hominem ex nihilo, non ex vitiata stirpe Adæ, diuinâ potentiâ facile creari, eaque innocentiâ & charitate donari, aut Angelum aliquem similibus donis ornari, qui velit ac possit innocens ex charitate pro nocente homine mori. Contrâ excipit Iustitia; Iustitiæ Dei infinitæ læsæ ex iustitiâ satisfaciendum: id verò fieri nullo modo posse à quouis homine, aut Angelo quantumuis innocente, iusto & sancto, cum is finitæ sit sanctitatis: oportere itaque illum, qui pro illatâ infinitæ maiestati Dei iniuriâ velit ex iustitiâ satisfacere, esse quoque infinitæ dignitatis. O incomprehensibilem peccati enormitatem, quod à nulla pura creatura condignè potest expiari! Hic horror peccati cuiusvis concipiendus, cum spe veniæ, & zelo satisfaciendi diuinæ iustitiæ.

III. Iam conclamatum videbatur de ancipiti causâ humani generis, (ubi enim talis innocens infinitæ dignitatis reperiretur?) iam in secreto regalis cubiculi Deitatis in præuaricatorem hominem æternæ damnationis sententia parabatur; cum ecce Pax suggerit: non est inter creaturas etiam possibili-  
biles ullus talis innocens, qui facere  
pos-

possit ac velit bonum hoc, ut moriatur pro nocente, & infinitæ Dei iustitiæ satisfaciatur, non est usque ad unum. Qui consilium dedit, ferat auxilium. Sensit hoc verbum, quod scrutatur omnia, etiam profunda Dei, audiit unigenitus Patris. Quid faceret? misericordia motus ait: me me pœna illa mortis subeunda manet, mihi incumbit pœnitentiam agere pro homine, quem creavi, non est qui possit reparare eum, nisi qui creavit: moxque se offert æterno Patri ad naturam humanam assumendam, in eaque assumpta pro homine lapsa ex iustitia satisfaciendum. Annuit gratulabundus Pater cum Spiritu Sancto: sicque communi consensu conclusum est, ut Verbum caro fiat, hominemque ex rigore iustitiæ redimat. O inæstimabilem bonitatem, liberalitatem, charitatem! Quanta illi debetur dilectio, gratiarum actio, resignationis promptitudo? Hi affectus ad longum possunt hic exerceri.

*De primo motiuo Incarnationis Verbi, IV.  
quod est maxima inde resultans*

*Dei gloria.*

I. **P**rimarium motiuum Incarnationis Verbi à Sanctissima Trinitate

te

re ab æterno decretæ, fuit maxima in-  
 dè resultans diuinæ maiestatis gloria.  
 Quia hoc Incarnati Verbi mysterium  
 est supremum inter omnia admiranda  
 opera diuinitatis, ideoque ab Apostolo  
 appellatur *magnum pietatis Sacramen-*  
*tum*, quo maius aliquid à tota Dei po-  
 tentia nec fieri potest, nec æquale vn-  
 quam factum est, aut fiet. In eo enim na-  
 tura humana in Christo ineffabili mo-  
 do ad thronum Dei, ad naturalem filia-  
 tionem, ad dignitatem & virtutem o-  
 perandi, merendi, sanctificandi animas  
 diuinam euehitur, cum per vnionem  
 hypostaticam assumatur à Verbo in-  
 unitatem personæ, sicq; fiat homo Deus.  
 Quo quid admirabilius, quid diuinius  
 concipi potest? O quanta indè elucet  
 diuinæ potentæ supereminetia! quã-  
 ra Dei ergà hominem dignatio, quanta  
 dilectio, in cuius gratiam sic exferere  
 brachium omnipotentæ suæ ab æterno  
 decreuit ad manifestandam gloriam su-  
 am, diuinamque suum esse, non solum  
 per gratiam accidentaliter, sed per vnio-  
 nem hypostaticam substantialiter com-  
 municandum! Affectus hic excitandi  
 gaudij de diuina gloria, amoris, gratitu-  
 dinis, zeli gloriæ Dei propagandæ.  
 I. Quia Deus infinite laudabilis, ho-  
 nora-

norabilis, amabilis, per hoc incarnationis mysterium infinite laudatur, honoratur, amatur. Cum enim Deus sit infinito cultu, adoratione, honore, amore, obsequio, gloria dignus, nec hæc illi ab ullâ parâ creaturâ etiam possibili, vtpotè finitæ dignitatis, vnquam possint exhiberi, æterno suo consilio voluit Filius Dei fieri homo, vt sic ipse Deus & homo in naturâ humanâ assumptâ infinitæ dignitatis diuinæ maiestati condignum infinitumque cultum, adorationem, honorem, amorem, obsequium, gloriamque deferre posset. O quam ardens fuit, quam igneus Filij Dei zelus gloriæ æterni Patris infinite promouenda! Zelus gloriæ Dei, gratitudo.

III. Quia ex hoc eodem mysterio e-lucent clarissimè præcipue perfectiones diuinæ, in quarum manifestatione Dei glorificatio potissimum consistit. Nam Deus in hoc mysterio i. luculentissimè nobis ob oculos posuit omnipotentiam suam, quod hominis honorandi & dilatandi causâ, summum quod potuit fecit, vt Deus fieret homo, & homo Deus.

2. Sapientiam inuestigabilem, in ad-  
uentione tam admirabilis mediij huma-  
num genus liberandi & exaltandi, in  
con-

con-

concilianda infinita misericordia & infinita iustitia : in rebus aded dissitis, Deo & homine, passibili & impassibili, æterno & temporali tam arctè copulatis.

3. Bonitatem infinitam, summè se humanæ naturæ per vnionem hypostaticam communicando, simulque cum toto hominum genere cognationem contrahendo.

4. Charitatem, Filium suum dando, arctissimeque naturam nostram sibi vnendo.

5. Misericordiam, ad miseras nostras reparandas sic nobis condescendendo, vt earum capax fieri dignatus sit, & particeps, sicque *disceret compati infirmitatibus nostris tentatus per omnia absq; peccato.*

*Hebr. 5.*

6. Iustitiam summam, in se debita peccatorum nostrorum transferendo, ac pro ijs ex rigore iustitiæ superabundantissimè satisfaciendo.

7. Sanctitatem infinitam, omnis sanctitatis, innocentia, perfectionisque omnium virtutum viuum exemplar in Verbo incarnato nobis ad imitandum proponendo. Repetendi prædicti af-

fectus gaudij, gratitudinis,  
amoris, zeli gloria  
Dei.

De

V.  
De secundo motiui Incarnationis, quod  
est hominum redemptio, & à peccatis  
pœnisquē peccatorum libe-  
ratio.

1. **F**ilius Dei, cum Patre, & sancto Spi-  
ritu, præuidens ab æterno Ad peccatum, illiusq; in omnes posteros trās-  
fusionem, simulque omnium & singu-  
lorum hominum, ex corruptâ stirpe vs-  
que ad finem sæculi progignendorum  
peccata liberè committenda tot, tam  
multiplicia, tam enormia, tam horren-  
da; decreuit ab æterno ex voluntate e-  
iusdem Patris, & Spiritus sancti, in natu-  
ra humana passibili & mortali assumpta,  
ex rigore iustitiæ pro ijs omnibus satis-  
facere, tam ærumnosum triginta trium  
& amplius annorum exilium subeundo,  
tam mira faciendo, tam dira patiendo,  
tam atrocem mortem sustinendo,  
prout in tempore factum credimus.  
O quanta peccatorum nostrorum gra-  
uitas & malitia! quanta nostra stu-  
peditas & proteruitas! Rectè D. Bernard.  
Ex consideratione remedij, periculi mei  
astimo quantitatem. Nesciebam, sa-  
nus mihi videbar, & ecce mittitur Vir-  
ginis Filius, Filius Dei altissimi, & iubetur  
occi-

Ser. 3. de  
nat. Do-  
mini.

occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguine balsamo medeatur. Agnosce o homo quam graua sint vulnera, pro quibus accessit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Filius Dei moreretur. Quam ardens proinde zelus tibi concipiendus peccata expiandi præterita, cauendi futura, compensandi commissa per bona opera?

II. Præuidens item grauissima vulnera per Adæ præuaricationem posteris inflicta, ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, concupiscentiam in appetitu concupiscibili, & propensionem ad malum, infirmitatem in irascibili, & auersionem à bono: item pœnas ærumnasque ex culpâ originali, & actualibus singulorum peccatis promanare solitas, uti sunt pronior lapsus in plura & grauiora peccata, peccandi consuetudo, in peccatis obduratio, impœnitentia, desperatio, perpetuus conscientia remorsus, aliasque corporales miseriae penè innumeras, uti sunt morbi, bella, fames, mors, misericordiâ motus ab his quoque nos liberare ab æterno decreuit, idonea remedia prouidendo, nostrasque miseriae absque peccato in  
se

se expiandas suscipiendo . Gratitude,  
Amor.

III. Præuidens similiter omnes pœnas damni & sensus singulis singulorum peccatis debitas , quas æternum essent subituri, commiseratione tactus statuit eas quoque voluntarijs in passibili carne assumptâ pœnis expiare, idoneaque media eas euadendi promereri. Quam ingens misericordia Dei & Saluatoris nostri, quâ ab æterno decreuit ab æternis cruciatibus nos tam misericorditer liberare. Quam verè dixit regius vates:  
*Misericordia Domini ab æterno in æternum* Ps. 102.  
*super timentes eum !* Affectus gratitudinis, amoris, zeli satisfaciendi in hac vitâ diuinæ iustitiæ per opera supererogationis.

*De tertio motiuo incarnati Verbi, quod VI.*  
*est hominum instructio, atque ad*  
*imitationem sui prouocatio.*

Filius Dei, cum præsciret homines originali labe corruptos, pronos fore ad omne malum ab adolescentia sua, tardos verò ad omne bonum, atque ita excæcandos quoad intellectum, deprauandosque quoad voluntatem, vt nec quæ agenda

agenda omittendaque sint, satis videre possint, multò minus quæ recta viderint exequi velint, decreuit ex consensu Patris & Spiritus Sancti assumere humanam naturam, eo modo, ijs cum circumstantijs, vti nunc factum scimus, vt doceret omnes homines, cuiusque ætatis, conditionis, status, sexus, ordinis, omnem perfectionem cuique congruentem: idque ex incensissimo zelo maioris gloriæ Patris, maioris omnium nostrum perfectionis, & consequenter maioris gratiæ in hac vita, gloriæque in altera.

I. Ac primum quidem in via purgatiua decreuit vita sua innocentissima clarissimum nobis exhibere speculum omnis innocentia & puritatis conscientia: sic cauendo omnem minimam etiam imperfectionis suspensionem, vt dicere auderet etiam inimicis suis curiosissimè omnem eius agendi rationem ex inuidia & calumniandi rabie obseruantibus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* sic deslendo & in se expiando aliena delicta: sic præcauendo omnes peccandi occasiones, licet esset impecabilis; tanto zelo peccatores ad pœnitentiam adducendo. Quam merito ergò is imitandus in studio maioris puritatis

*Ioan. 8.*

tatis indies acquirendæ! Hic zelus, præ-  
missis affectu gratitudinis & amoris,  
hic urgendus.

II. Deinde in via illuminatiua statuit  
similiter absolutissimum nobis dare  
exemplar omnium solidarum virtu-  
tum, nosque ad sui imitationem pro-  
uocare, exemplo suo nos docendo mo-  
dum exercendi eos quoad actus inter-  
nos & externos in omni genere obie-  
ctorum, etiam maximè arduorum, om-  
ni oblata & quæsitâ occasione, erga  
Deum, nos ipsos, & proximos, idque  
purissima cum intentione, perfectissi-  
ma attentione, flagrantissima deuotio-  
ne, omnium virium mentis & corporis  
maximè strenua applicatione. Zelus  
proficiendi generatim in exercitio vir-  
tutum secundum exemplar Christi hic  
exercendus.

III. Denique in via vnitiva similiter  
statuit nobis proponere perfectissi-  
mam ideam arctissimæ cum Deo prin-  
cipio, fine, ac centro nostro vnionis,  
intimæ familiaritatis, nostræque vo-  
luntatis cum illius diuina omnimodæ  
conformitatis, proponendo nobis mo-  
dum exercendi, purissimè, intensissi-  
mè, constantissimè, insatiabilissimè  
actus internos & externos charitatis  
Dei,

Dei & proximi, resignationis, zeli di-  
uinae gloriae, & salutis animarum, gra-  
titudinis, familiaritatis cum Deo in de-  
uotionis exercitijs: idque ex eodem su-  
pradicto zelo maioris amoris, honoris,  
& beneplaciti Patris, maioris nostri me-  
riti, gratiae & gloriae. Quam meritò er-  
gò & hic zelus à te exercendus nunc, i-  
mò tota vita frequentandus?

VII. *De quarto motiuo Incarnati Verbi quod  
est impetratio omnium bonorum  
gratia & gloria.*

Filius Dei similiter praeuidens maxi-  
mam hominum fragilitatem ex pec-  
cato Originali oriundam, ut quae recta  
viderint, velintque, absque peculiaribus  
gratiae praesidijs praestare minimè vale-  
ant, decreuit in eodem illo aeterno arca-  
noque sanctissimae Trinitatis consilio  
in humana natura passibili assumenda,  
prout iam factum constat, copiosam om-  
nibus impetrare gratiam ad maiorem  
perfectionem, gratiam, gloriamque a-  
dipiscendam necessariam.

I. Proinde primo ab aeterno statuit om-  
nibus promereri sufficientem, pluri-  
mis insuper superabundantem gratiam  
requisitam ad veniam peccatorum, vi-  
taeque

tæque emendationem impetrandam; ad solidum in virtutibus progressum faciendum, ad continuum charitatis & gratiæ sanctificantis seu habitualis augmentum acquirendum, tot Sacramenta in hos fines instituendo, tot auxilia actualis gratiæ suppeditando, tot impedimenta peculiari sua providentia remouendo: & quidem has omnes gratias, & media tot, tam suauia & efficacia omnimodæ perfectionis assequendæ statuit promereri nobis tot tantisque heroicis desiderijs, & actibus internis, tot externis operibus & laboribus, tot doloribus, iniurijs, cruciatibus toleratis, quorum omnium obsequiorum singula erant infiniti valoris, idque ex gratuita dilectione, zelo gloriæ Patris, ad finem ad eò sublimem, gratis absque ullis nostris meritis. O ingens amor! ô inexhausta liberalitas! Affectus excitandi, amor, gratitudo, feruor proficiendi in via perfectionis.

II. Deindè prospiciens hominum summam in bonis cæptis inconstantiam, statuit eisdem ab æterno iisdem præfatis modis promereri electis donum finalis perseuerantiæ, cum omnibus medijs requisitis ad constanter continuandum studium progrediendi in triplici

B

via

via perfectionis, conatumque contem-  
dendi usque ad mortem, ad apprehen-  
dendum brauium æternæ retributi-  
onis. Affectus hic eliciendi gratitudo,  
spes perseuerantiæ, constans feruor  
semper in spirita proficiendi.

III. Denique consequenter ex eodem  
gratitæ dilectionis affectu decreuit ab  
æterno iisdem modis promereri omni-  
bus & singulis sufficientem, electis in-  
super superabundantē gratiam ad glo-  
riam cuiusque meritis proportionatam  
pertingendi; imò peculiaria gratiæ sub-  
sidia necessaria ad singulos gloriæ gra-  
dus, quos vllus electorum vnquam al-  
secuturus esset, promerendos. O ineffa-  
bilis charitas, & prouidentia tua Deus,  
quâ ab æterno vnumquemque electo-  
rum sic curas, tanquam solum cures: &  
sic omnes tanquam singulos, ab æterno  
cuique impetrare statuendo, & præor-  
dinando omnia & singula media tam  
suauia & efficacia ad veniam, gratiam,  
perseuerantiam, gloriâque indispicē-  
dam requisita! Affectus amoris, spei,  
gratitudinis, zeli Deo per omnia  
placendi hic reno-  
uandi.

Domi.

## Dominica II. Aduentus.

2. Hebdomadæ Aduentus.

De signis extremi iudicij. Luc. 21.

I. **Q**uantò gratiosior fuit primus Filij Dei Incarnati aduentus ad mundum saluandum, tantò terribilior erit secundus ad eundem iudicandum. Nam quantò humilior, mansuetior, benignior apparuit in primo, tantò sublimior, iustior, rigidior apparebit in secundo: quod indicant complura signa illum præcessura, quæ si tam horrenda futura sint in cælo, aere, terra, mari, quanto magis horrendum erit ipsum extremum his præsignatum iudicium? de quibus rectè D. Greg. *Multa debent mala præcurrere, ut malum valeant sine fine* *Horn. 35. in Euāg.*  
*nunciare. Et quia omnia cōsummata sunt, antè consummationem omnia perturbantur, & qui in sanctis deliquimus, in cunctis ferimur: ut impleatur, quod dicitur: Et pugnabit* *Sap. 5.*  
*pro eo orbis terrarū contra insensatos. Quam meritò ergò quisquis hæc credit, deberet cū timore & tremore salutē suā operari, & iugi memoria iudicij cū D. Hieronymo se ad vitanda quæuis peccata,*

B 2

ad

ad seriam pœnitentiam, & assiduum proficiendi studium extimulare, quasi auribus suis semper hæc vox insonaret: *Surgite mortui, venite ad iudicium.*

II. Quantò formidabilius erit illud extremum iudicium impijs & reprobis ob infinitam maiestatem, potentiam, iustitiam æquissimi Iudicis omnia scientis & videntis; ob confusionem scelerum suorum toti mundo manifestandorum; ob terribilem, immutabilem, & æternæ maledictionis sententiam; ob horrorem æternorum suppliciorum: tantò optabilius erit bonis & electis ob infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, æquitatem & benignitatem liberalissimi remuneratoris; ob gloriam qua afficientur coram toto mundo; ob spem tam optabilis & immutabilis sententiæ: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum:* ob desiderium æternorum corporis & animæ gaudiorum sibi preparatorum. Affectus ijdem renouandi.

III. Quantò maiorem impijs hæc signa præcessura metum injicient, tantò maiorem lætandi occasionem bonis afferent, ob spem instantis plenæ retributionis omniū bonorum desideriorum, & operum; perfectæ liberationis ab omni malo culpæ & pœnæ; securæ pos-



postaticam vniendo, atque ad diuinam dignitatem euehendo; foeminam, ex ea carnem assumendo, eamque in matrem Dei eleuando. 3. Vt infans factus & subditus matri, euidentius nobis praeberet subiectionis in tenera & virili aetate exemplum. 4. Vt quia vnus vir, & vna mulier vehementer nobis nocuere, per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam omnia restaurarentur iuxta D. Bernard. 5. Vt eadem Dei mater nobis esset loco matris, & pia apud filium Aduocata, cum non solum homo, sed simul Deus sit, & Iudex, ideoque metuendus. O mira dignatio diuinae pietatis, o inaeestimabilis dilectio charitatis! Quanta illi merito rependenda gratitudo, dilectio?

*Sermo de  
verbis A-  
poc. 12.  
signum  
magnum.*

II. In eodem illo consilio Sanctissimae Trinitatis inter innumeras foeminas, quas in aeternitate sua praeuidit, oculos misericordiae suae in Beatam Virginem **MARIA M** gratiosè coniecit, eamque longè supra omnes puras creaturas eleuare statuit ad sublimissima munia olim obeunda, vt fieret Verbi Incarnandi mater; eiusdemque in mundi redemptione cooperatrix; Mater & Aduocata hominum; cui Deus ipse homo factus se subijceret: idque ex gratuita electione.

etione, absque præiudicatis meritis, ad finem adeò sublimē, ad tam superexcellētem gratiam & gloriā suprā omnes puras creaturas consequendam. Quam congratulandū tam Beatę Matri de tam peculiari Dei electione ad tantam sublimitatem? Quam affectuosē ideò Deo gratię agendę? Quanta fiducia ad finem tam pię & potentis Matris recurrendum? Affectus, congratulatio, gratiarum actio, deuotio ergā B. Virginem.

III. In eodem præfato consilio sicut Christus nasciturus ex B. Virgine ab æterno prædestinatus est, ut esset Filius Dei in tempore ( quatenus præordinauit Deus ab æterno, ut per gratiam vniōnis hypostaticę homo esset Deus) & in numero prædestinatorum primus, in capite libri vitę æternę scriptus, in initio viarum Domini; summus mediator Dei & hominum, exemplar item & causa omnium prædestinandum, cuius imagini conformes fieri, & per cuius merita in filios Dei adoptari debent, quotquot saluantur: Sic B. Virgo ab æterno prædestinata est, ut eius esset mater; secunda in numero electorum, secundariū post filium nostrę prædestinationis exemplar, & causa salutis, & mediatrix, per quam accessum habe-

remus ad ipsum. Renouandi hic affectus congratulationis de tam extraordinaria Christi & B. Virginis prædestinatione ad tantas gratiæ & gloriæ prerogatiuas: Gratiudinis item pro tanta. ijs indulgentiorum charismatum præeminencia, pro tam pijs & potentibus mediatoribus nobis à diuina bonitate concessis: amoris item & spei ergà tam profusam diuinæ prouidentia liberalitatem.

### III. De prerogatiuis electæ matris Verbi incarnandi.

I. **B**EATA Virgo ab eterno peculiaribus cum prerogatiuis inter omnes & supra omnes puras creaturas electa est. Vnde rectè dicitur electa. vt sol, quasi vnica inter creaturas, sicut vnicus est sol in mundo. Nam iuxta illud Apostoli de electis. vniuersè dictum: *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*: ipsa electa est. 1. peculiariter in Christo Filio, cuius merita illi præ reliquis longè eminentius & copiosius applicata. 2. vt esset Sancta Sanctorum, quæ editura erat Sanctum Sanctorum. 3. vt esset immaculata, supra omnes pura, vtpote futura illius mater, qui Patrem haberet fontem omnis,

*Ephes. 1.*

omnis puritatis 4. vt esset talis in conspectu Dei, cuius oculis esset placitura, & in conspectu Verbi Incarnati, cui erat materna obsequia exhibitura. 5. Electa est in charitate ardentissima, qua nimirum à Sanctissima Trinitate suprà omnes fuit creaturas peculiarissimè dilecta, à Patre ceu filia primogenita carissima, à Filio ceu mater amantissima, à Spiritu Sancto ceu sponsa electissima. His expensis affectus congratulationis, gratitudinis, spei, deuotionis ergà B. Virginem, cum desiderio eam in puritate mentis & corporis, in studio eximie sanctitatis imitandi, possunt subiungi.

II. In eadem illà B. Virginis electione à Sanctissima Trinitate decretum fuit: 1. vt in conceptione præseruaretur ab omni labe Originali, eò quòd Filio Dei ex ea nascituro id deberetur. 2. vt omni mali fomitis & concupiscentiæ expers esset, quales primi parentes conditi essent, eò quòd posterior Eua non deberet esse inferior priore cum creata est, vti nec secundus Adam inferior primo. 3. vt confirmaretur in gratia, ne vnquam ab ea per peccatum lethale posset excidere, nec per veniale de feruore charitatis remittere. 4. vt in ipso conceptu tanta gratiæ sanctificantis, cœlestiumque

B; 5. cha--

charismatum copia ei infunderetur, quanta nulli vnquam Sanctorum esset impertienda, imò quam accessione insignium meritorum nemo vnquam esset adequaturus. Affectus ijdem hic quoque poterunt renouari.

III. Eodem illo electionis B. Virginis decreto statutum fuit ab æterno, vt B. Virgo tam eximijs præuentis charismatis, strenua assiduaque cooperatione in dies & horas charitatis & gratiæ habitualis thesauros in immensum penè accumularet in terris, & consequenter inæstimabile gloriæ pondus sortiretur in cœlis, tantò excelsius suprâ omnes Sanctos homines & Angelos sublimitate gratiæ & gloriæ eleuanda, quanto differentius præ illis nomen matris Dei esset hereditatura. Affectus ijdem repetendi.

#### IV. De promissione Incarnationis Filij Dei, Patribus facta.

1. **D**Eus ex infinita misericordia sua & paterna compassione erga Protoplastos parentes nostros à callido serpente supplantatos, statim post lapsum promisit ijs hoc diuinissimū salutis humanæ reparandæ remedium; inquit ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te*

Gen. 3.

& mulierem, & semen tuum & semen il-  
 lius: ipsa (vel ipse) conteret caput tuum: non  
 obscure innuens per Saluatorem ex mu-  
 liere nasciturum caput stygij colubri o-  
 lim conterendum: idq; in hunc finem,  
 ne ipsi mox eijciendi in exilium cum  
 posteris tam diuturna anhorum imò se-  
 culorum asperrimâ pœnitentiâ fracti;  
 tot tantisque ærumnis confecti, despe-  
 rata omni spe remedij, animum omninò  
 desponderent, frena prauis suis cupidi-  
 tatibus laxarent, atque in omnium sce-  
 lerum barathrum præcipites se rapi fi-  
 nerent: verùm vt hac spe lætati, non so-  
 lum per fidem in Messiam venturum  
 saluarentur, sed etiam memoria tanti  
 beneficij promissi ad constanter serui-  
 endum Deo in eximia iustitia, & sancti-  
 tate animarentur. O quam immensa tua  
 misericordia Deus! verè es Pater mise-  
 ricordiarum, & Deus totius consolati-  
 onis: Verè es miserator & misericors Domi-  
 nus, longanimis & multum misericors. Quo-  
 modo Pater miseretur filiorum, misertus es  
 Domine timentibus te, quoniam cognoscis  
 figmentum tuum. Psal. 102.

Quoties & tibi roties lapso & relapso  
 misericordissimus Pater similem miseri-  
 cordiam exhibuit, ad resipiscendum te  
 excitando, spe veniæ erigendo, gra-  
 tiã

tiam offerendo, ad brauium inuitando  
Humiliter id agnosce, gratus esse stude  
redama sic amantem, noli amplius abu  
ti eius misericordia, ne tibi ipsi præclu  
das fluentia gratiæ.

II. Idem profundissimum mysterium  
alijs postmodum Patriarchis post dilu  
uium, tempore legis naturæ, per varias  
figuras, & reuelationes, quamuis ob  
scure, referauit ex eadem infinita mise  
ricordia, & in similes fines; luculentius  
porro id præ reliquis fidelis amico suo  
Abrahæ, utpote futuro patri multarum  
gentium, imò omnium fidelium reue  
lauit, aperte promittens ex eius stirpe  
verum Messiam oriundum: *Benedicen  
tur in semine tuo omnes gentes terræ, quia  
obedisti voci meæ.* Quam reuelationem  
clare cum magno gaudio agnouisse A  
braham, testatur Christus ipse: *Abra  
ham pater vester exultauit, ut videret diem  
meum, & vidit, & gauisus est.* Quam pe  
culiaris illa erga fideles suos amicos  
Dei miseratio! quantum illi inde hau  
serunt gaudium, solatium, spem, feruo  
rem Deo tam bono & fideli perfecte, fi  
deliterque seruiendi? Quid ergò tibi  
faciendum, cui tam clara tanti mysterij  
iam dudum peracti notitia gratis, præ  
tot alijs fidelitatis & ignorantia tene  
bris.

*Gen. 22.*

*Ivan. 8.*

bris immersis, est communicata? Gratus esto, & strenuè cooperare tantæ gratiæ serio studio omnimodæ perfectionis.

III. Idem insuper tempore Legis scriptæ subsequenter sæculis Prophetis compluribus eodem miserationis affectu, eosdemque ob fines in spiritu reuelavit, vt Moysi iuxta illud: *Prophetam Deut. 18. de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Dauidi, cui apertè Deus promisit ex eius semine Messiam oriturum. *Iuravit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Isaia: *Ipse veniet & saluabit vos. Qui loquebar, ecce ipse adsum, & alibi passim.* Baruch: *Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est.* Danieli, qui agnouit Christum venturum in lapide abscisso de monte sine manibus, contrituro omnia regna terrena: & clarè prædixit eius aduentum & passionem. Micheæ, cui locus nascituri Messia reuelatus. Abacuc item, qui ait: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESU meo, alijsque plurimis.* Quanta tua sors felicior, qui quod illi à longè in spiritu, & quidem obscure post multa sæcula complendum aspererunt, iam completum oculis fidei

*Tim. 3:* clarè cernis, magnū inquam illud *pietatis Sacramentum*, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu; apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. His consideratis innuatos supra affectus gratitudinis, amoris, zeli perfectè Deo per omnia placendi renoua.

V. *De Patrum feruentibus desiderijs Messiae venturi.*

**E**Xpende quàm ardentè & frequenter tota vita sua, singuli prædictorum Patriarcharum, Prophetarum & iustorum desiderarint celerem aduentum venturi Saluatoris, quam primum ijs eius aduentus promissus, & reuelatus fuit, & quidem eò ardentius, quòd clarius diuturni exilij sui molestias, originalis corruptelæ miserias, periculosas mundi carnisque illecebras, callidas diaboli insidias, & mille salutis discrimina agnouerunt, certiusque à promisso Messia horum omnium malorum præsentissimum remedium expectarunt. Quomodo insuper in spiritu exultarint, ad omnes huius exilij ærumnas tolerandas promptissimos se obtulerint.

lerint, diuinam misericordiam magnificârint, in occursum Saluatoris venturi cum gaudio se accinxerint, quasi iam præsentem viderent? Hæc ponderans, an non meritò ingemiscas cum D. Bern. *Ar dorem desiderij Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam frequentissimè cogitans, compungor & confundor in memetipso, & nunc vix contineo lachrymas: ita pudet teporis, torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerat gaudium gratia huius exhibitio, quantum veteribus Sanctis accendat desiderium promissio? Quanta tua felicitas, qui cernis hoc tantum diuina pietatis mysterium impletum, quod illi à longè aspiciabant promissum? Agnosce humiliter, gratias age ardentè, teporem tuum incusa, & superare statue viriliter.*

II. Quàm constanter hoc suum desiderium continuarint SS. PP. non solum in vita & morte, sed etiam post hanc vitam in limbo tot centenis, imò non pauci tot millenis annis, & eò quidem intensius, quò diutius se detineri in tenebris & umbra mortis cernebant ob dilatum aduentum Saluatoris, à quo se liberandos, & in lucidas beatorum spirituum sedes transferēdos certò credebant;

bant; & quoties, vt in viuis solēbant, ad illum fiducialissime suspirarint, quoties vota precesque olim frequentatas iterarint: *Vtinam dirumperes cœlos & descenderes. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Obsecro Domine, mitte quem missurus es, & cœt. Quanta illi longanimitate anhelarint ad fontes illos Saluatoris, ad fontes illos aqua viua, salientis in vitam aeternam, quod præuidens Isaias exclamauit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & diceris in illa die: Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, quibus nos affatim nunc fruimur.* O quanta Saluatori nostro pro tanta gratia debetur gratitudo, quantus amor, quantus feruor illi perfectè placendi?

III. Expende demum quanto ardentiore desiderio, & maiore mentis tripudio, appropinquante iam tempore tanti mysterij complendi, suspirarint ad Saluatorem tot iam sæculis desideratum, quò viciniorem eius aduentum diuina reuelatione didicerant? quanto affectuosius more consueto ingeminarint: *Excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos. Ostende faciem tuam & salui erimus. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* O expe-

Isai. 64.

& 45.

Exo. 4.

Ioan. III.

Psal. 79.

Psal. 84.

expectatio Israel, ô desiderate cunctis  
gentibus, ô desiderium collium æter-  
norum, ô radix Iesse, quæ stas in signū  
populorum, quando venies? quando  
stillabunt montes dulcedinem, & col-  
les fluent lac & mel? Quando finis erit  
illius modici, de quo dixisti: *Adhuc Aggai 2.*  
*unum modicum, & ego commouebo cælum*  
*& terram, & mare, & aridam, & mouebo*  
*omnes gentes, & veniet desideratus cunctis*  
*gentibus? Quando veniet, qui mittendus*  
*est, de quo autè tot sæcula prædictum:*  
*Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de*  
*femore eius, donec veniat, qui mittendus*  
*est? En ablatum est sceptrum, veni qui ven-*  
*turus es, &c. Quo tu merito gratitudi-*  
*nis, amoris, congratulationis affectu te*  
*accingere deberes ad illum iam dudum*  
*pro te incarnatum, & passum suscipien-*  
*dum, per nouam gratiam in te quasi re-*  
*nasci paratum, quem illi à longè aspici-*  
*entes tanto deuotionis, amoris, con-*  
*gratulationis excessu desiderabant pro-*  
*missum!*

*De Sanctorum Angelorum desiderijs ex-*  
*spectantium per Saluatorem venturum:*  
*ruinarum cælestis Ierusalem in-*  
*stauracionem.*

**I.** *EX*pende sanctorum Angelorum  
adhuc:

Gen. 49.

VI.

adhuc viatorum ardentissima desideria  
 aduentus Filij Dei in mundum per In-  
 carnationis mysterium, initio conditio-  
 nis suæ, cum diuinâ reuelatione didi-  
 cissent Verbum Patris æternum huma-  
 nam naturam hypostaticè assumptu-  
 rum, caput & regem futurum regni æ-  
 terni ex hominibus & Angelis consti-  
 tuendi, & quidem eò feruentius, quò  
 impudentius cernebant socios suos a-  
 postaticos spiritus auctore Lucifero di-  
 uino illi decreto reluctari: eò affectuo-  
 sius, quò perfectius Deum, hominesq;  
 quos Deus in tanto pretio haberet, di-  
 ligebāt; & quò acrius illi Deo rebella-  
 bāt, hominibusq; tantam dignitatē in-  
 uidebant; eò insuper constantius hæc  
 sua sancta desideria, quæ Deo sciebant  
 gratissima, continuabant, quò pertina-  
 cius illi in pessimis suis desiderijs, quæ  
 Deo maximè videbāt displicere, perse-  
 uerabant, vsq; dum boni gloriâ æternâ  
 remunerarentur, mali æternis supplicijs  
 addicerentur. Aemulare feruorē bono-  
 rum Angelorū in magnificando, reda-  
 mando, glorificādo Deo tuo ob tam in-  
 effabile beneficiū incarnationis Verbi.  
**II.** Considera quomodo deinceps cōti-  
 nuarint sancti Angeli sua sancta prædi-  
 cta desideria, & quoties ardentissimo  
 affe-

affectu iterarint, cum clarissimè cogno-  
 scerent dignitatē tot animarū ob dilati-  
 onē tantæ promissæ gratiæ indies æter-  
 num pereuntium; tantam multitudinem &  
 enormitatem tot peccatorū, quibus in-  
 finita Dei maiestas in tēpore offenderet-  
 tur; & tot blasphemiarū & maledictio-  
 num, quibus in æternitate à dānatis la-  
 cesseretur: & consequenter sic nunquā  
 ruinas cælestis Ierusalem instaurandas,  
 nec regnum Dei, sed diaboli potius in-  
 dies dilatandum, nisi per Saluatoris ad-  
 ventum efficax adhiberetur remedium.  
 Quoties angeli pacisamarè flētes, cum  
 tot sæculis miserabilem animarū stra-  
 gem peruiderent, acerbam humani ge-  
 neris Deo tam dilecti sortem deplora-  
 rint, diuinæ misericordiæ auriculas vel-  
 licarint, Sanctorum Patrum suspiria &  
 vota antè thronum Dei præsentarint.  
 O si cum Sanctis Angelis clarè agno-  
 sceres tanti mysterij præeminentiam &  
 animarum dignitatem, quam gratum  
 te pro tanta gratia exhiberes? quo ze-  
 lo impensè tuæ proximorumque per-  
 fectioni, ac saluti promouendę vacares?  
 Gratitude, zelus propriæ alienæque  
 perfectionis.

III. Considera quomodo sancti Angeli,  
 quando venit plenitudo temporis, quo

Deus

Deus filium erat missurus in mundum, iuxta tot Prophetarum vaticinia, multiplicarint, intenderintque pristina sua desideria, praesertim cum clarè prospicerent. 1. miserabiles tot saeculis iam continuatas animarum ruinas. 2. tot fusas iustorum lachrymas, vota, desideria. 3. tantam Dei ad misericordiam humano generi exhibendam, propensionem. 4. impletas prophetias de tempore aduenturi Saluatoris. 5. insuper iam accinctum filium Dei ad inchoandum opus redemptionis humanae. Quomodo sua cum SS. PP. suspirijs vota coniunxerint, Deoque obtulerint, quanto gaudio obtantum pieratis sacramentum iam iam complendum exultarint, quas gratias tantae Dei benignitati retulerint? Gratitude, zelus gloriae Dei & salutis animarum.

VII. *De Beatae Virginis diuinissimis desiderijs accelerationis promissi Saluatoris.*

I. **C**onsidera quo pacto B. Virgo ab initio vsus rationis in ea peculiari priuilegio accelerati, quam primum diuina reuelatione, & peculiari illustratione

tionē didicit diuinissimum promissi  
Patribus Messiae mysterium, eiusq; iam  
complendi instare tempus ab æterno  
decretum, & à Prophetis prænuncia-  
tum, continuò cœperit trahere cate-  
nam illam auream sanctorum desideri-  
orum, quibus Filius Dei volebat de cœ-  
lo in terram trahi, induciq; ad accele-  
randum suum aduentum: & quidem eò  
fortius, quò erat innocentia præemi-  
nentior, sanctitate excelsior, gratia ple-  
nior, Deo gratior suprà omnes puras  
creaturas, quæ inde cœpit, vbi alij San-  
cti consummârunt, cuius fundamenta  
in montibus sanctis, cui in primo instā-  
ti conceptionis copia omnium gratia-  
rum tantò collata est sublimior præ om-  
nibus creaturis, quantò eminentius  
præ illis & nomen, & munus matris  
Dei esset hæreditura. Quantò iam  
tum in tantilla ætatula humilitatis, a-  
moris, deuotionis affectu optabat esse  
vel minima pedissequa magnæ matris  
Dei futuræ? quàm beatam se censebat, si  
digna haberetur oculis cernere promif-  
sum Salvatorem, illiusq; seruitio se  
totam consecrare? quàm & tu beatum  
te censes, si illuminatos mentis ocu-  
los haberes, cui talis obtigit gratia ag-  
noscendi, redamandi, omniq; genere  
obse-

obsequiorum demerendi Verbum incarnatum?

II. Considera, quomodo hæc sancta desideria, hos pios sensus affectusque humilitatis, gratitudinis, amoris, oblationis sui ipsius ad omnem eius nutum, & obsequium frequentârit rota vita usque ad instans tempus incarnationis, maximè tot annis in templo, in quotidianis suis rerum diuinarum contemplationibus, in sacrarum scripturarum lectionibus, manè, vesperi, aliasque interdium & noctu frequentissimè. Quoties pia sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum suspiria iterârit? quoties pristina sua vota, vt liceret sibi vel infimam mediastinam esse benedictæ matris futuræ Saluatoris, deuotissimè renouârit, præsertim post votum perpetuæ virginitatis editum, quo expeditiôr esse posset ad omne eius obsequium? quoties admirabunda & spiritu exultabunda diuinam misericordiam magnificârit, & gratias demississimo corde egerit pro tam inæstimabili beneficio humano generi à tot sæculis promisso, tot vaticinijs prædicto, iam tandem re ipsa exhibendo? Eisdem & tu affectus renoua, vnitosque B. Virginis affectibus Deo repræsenta.

III.

III. Cōsidera qua ratione B. Virgo, sub  
 instans ipsum tēpus incarnādi Verbi ab  
 æterno præfinitū, ex peculiari illustrati-  
 one instinctuque Spiritūs Sancti clarè  
 cognoscens iam iam adesse tēpus illud à  
 tot sæculis expectatū, quo tantum im-  
 pleretur mysteriū, nouo rursus feruore  
 solita sua desideria frequētārit, consue-  
 tosq; humilitatis, gratitudinis, amoris,  
 resignationis, zeli gloriæ Dei affectus  
 eò perfectius exercuerit, quò maiores  
 interim de die in diem in sanctitate &  
 gratia habituali fecerat progressus, &  
 quo vberiora superabundāris gratiæ a-  
 ctualis auxilia promeruerat: ac proindè  
 aureā illā diuinorum desideriorum ca-  
 tenā illa vna fortius traxerit, quam om-  
 nes iusti & sancti à cōdito mundo, simul  
 huc vsq; sumpti traxerant; tandēque ad  
 se è cælo attraxerit Filium Dei vltimis  
 illis suis inflāmatissimis desiderijs, qui-  
 bus (dum forsā aut illud Isaia vaticini-  
 um: *Ecce virgo concipiet & pariet*, vel simi-  
 le aliud attentā mente ruminaret, aut  
 peculiari alio vberioris illabentis gra-  
 tiæ impetu se moueri sentiret) solito  
 vehementius exardescens, humillimè,  
 deuotissimè, resignatissimèq; æternum  
 Patrem exorauit, vt ob infinitam mise-  
 ricordiam suam recordatus pacti cum  
 Patri;

Isa. 7.

Patribus initi, dignaretur misereri generis humani miserè pessum euntis, & mittere promissum Messiam, seque in minimam, si placeret, benedictæ matris illius eligendæ assumere ancillulam. O quam grata Sanctissimæ Trinitati tanta mentis demissio, gratitudo, amor, resignatio, zelus diuinæ gloriæ & salutis animarum, quorum actibus, seu affectibus frequentatis voluit Verbum æternum è sinu Patris trahi in uterum Virginis? Et tu hos frequenta, quibus tanta potest breui acquiri gratia.

3. Hebdomadæ  
Aduentus.

Dominica III. Aduentus.

*De missione duorum discipulorum Iohannis ad Christum. Matth 11.*

I. Meditatio.

I. IOannes per duos discipulos ad Christum missos quærit: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? non quod dubitet an is verus sit Messias, sed vt discipulos suos, quos breui deserturus erat, ad fidem in Christum per conspecta miracula ab eo facta pertraheret, ex zelo gloriæ Christi, & salutis illo-

illorum promouendæ, plenius ab ipso in omnibus instituendos. O quàm feruens erat in sancto Ioanne zelus omnes, si posset, ad amorem Christi perducendi, optans minui, vt ille cresceret: quam gratus is Christo fuit, qualem illi doctorum aureolam peperit! ô quàm verè ait D. Gregor. *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum* Hunc prolixè hic exercee.

*in Ezech.  
Hom. 12.*

II. IESVS mentem Ioannis perspicuens, respondet non tam verbis asserens, quàm factis probans se esse Messiam: renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & *beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Idque ex insigni modestia & zelo maioris nostræ perfectionis, vt doceret nos fugere omnem speciem propriæ iactantiæ, moneretque prius opere præstandum, quod verbo alios docemus, & iubemus. Fuga iactantiæ. Zelus propriæ perfectionis.

III. Illis abeuntibus Iesus apud turbas commendat Ioannem, non solum à dignitate officij illi commissi, quod sit Propheta, imò Angelus, de quo Malachias: *Ecce ego mittam Angelum meum*

C

antè

*antè faciem tuam, qui preparabit viam tuam antè te:* sed etiam ab insigni constantia, asperitate vitæ, zelo prophetico, angelicâ innocentia, eo fine, vt has virtutes æmulemur, quæ tantam peperere Ioanni apud Christum scrutantem corda & renes, in terris existimationem; & tantam gloriam, tamque eximias Martyrum, Doctorum, Virginum aureolas in cœlis. Feruor proficiendi, & Ioannem æmulandi in prædictis excitandus.

II. *De tempore completi mysterij Incarnati Verbi.*

I. **D**EUS hoc maximum mysterium ab origine mundi promissum, tot figuris præmonstratum, tot prophetis prænunciatum, vt ab æterno decreuit, ita in tempore executioni mandare distulit, vsque ad annum ab orbe condito quinquies millesimum, centesimum, nonagesimum nonum (iuxta martyrologium Romanum) idque ex inscrutabili abyssu sapientiæ suæ, ad maiorem suam, electorumque gloriam, ob has congruentes rationes: 1. Vt ingrauescente tot sæculis morbo corruptionis humanæ, magis appareret necessitas tam rari & inexpectati remedij, & maior

ior virtus medici. 2. Vt tantæ gratiæ exhibitio eò pluris æstimaretur, quò diutius differretur. 3. Vt dilata electorum Patrum desideria in terris elicitæ crescerent, & maiorem in cœlis gloriæ coronam impetrarent. Quàm admirabilis & terribilis, sed & quàm suavis, & amabilis est Deus noster in omnibus consilijs suis super filios hominum? Differt sæpè electis, quæ petunt, citò tribuere, vt commodiore tempore abundantius eadem mereantur accipere. O quàm meritò ergò cum heroicâ confidentiâ & longanimitate diuinæ prouidentiæ acquiescendum, audiendumque illud: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit*? Admiratio diuinæ prouidentiæ, gratitudo, Amor.

II. Deus eo tempore voluit filium suum incarnari, quo mundus totus in maligno positus tam inæstimabili gratiâ erat indignissimus; quo Idololatria toto orbe latissimè dominabatur, quo maxima erat verè fidelium Israelitarum raritas, quo ipsi illi Deo tam peculiariter dilecti in tot diuisi sectas & dissensiones pessum ibant, quorū tantam præuidebar malignitatem, vt non solùm non essent recepturi missum Saluatorem, sed

necem illi crudelissimam illaturi: idque idcirco, ut liquidò constaret, hoc tam inæstimabile beneficium mundo ingrato indignoque collatum, non ex hominum merito, sed ex gratuito diuinæ pietatis beneplacito. O verè inæstimabilis dilectio charitatis! *Sic Deus dilexit mundum* tam immundum, tam indignum, tam malignum, *ut filium suum unigenitum daret*, tali tempore pro eo salvando incarnandum! Quoties etiã te eo tempore, quo gratia eius eras indignissimus, maximis beneficijs cumulavit, non ex vlllo merito tuo, sed ex merito beneplacito suo? Affectus exercendi, Humilitas, gratitudo, amor.

III. Demum eo tempore voluit exhibere mundo hoc beneficium, quod cernebat impletam mensuram meritum, quibus decreuerat accelerationem eius saltem de congruo à sanctis veteribus Testamenti Patrib. impetrari, per inflammatissima Beatæ Virginis desideria, seraphicosque affectus humilitatis, gratitudinis, amoris, zeli, aliarumque virtutum. O quàm liberalis est Deus in bonis seruorum suorum desiderijs, longè supra spes eorum omnes, remunerandis. Quis enim ausus fuisset talem, ac tantum petere vel expectare

Re-

Redemptorem, coæqualem scilicet æterno Patri filium pro nobis redimendis incarnandum? Spes, gratitudo, amor.

*De missione Gabrielis, & salutatione  
B. Virginis Luc. I.*

III.

I. **C**Um iam adesset optatum illud momentum ab æterno præsignatum, quo tantum perficeretur mysterium, Pater æternus misericordiarum viscera pandens, Filius ad currendam viam suam, ut Gigas exultans, Spiritus Sanctus ad cooperandum tanto pietatis sacramento exardescens vnanimum consensu mittunt legatum Archangelum Gabrielem, Dei virtutem nomine & re referentem, ad Virginem non mundo, sed cœlo celebrem, regiâ quidem stirpe prognatam, sed fabro desponsatam, non in ciuitate, nec palatio regio, sed in oppidulo & cubili exiguo residentem. Summa legationis erat æternum illi reuelare Sanctissimæ Trinitatis decretum, ut videlicet velit esse Mater Verbi incarnandi. O quanta diuinæ potentia, sapientia, bonitatis dignatio, creaturæ suæ liberum consensum in re etiam tantâ, ex quâ pendeat salus vni-

C 3

usr-

uetorum, tam benignè requirentis, atque ad tam sublimē dignitatem ex gratuita misericordiā illam inuitantis! O quāta & illa eiusdem dignatio te toties tam indignum ad gratiam eius acceptandam, intimamq; familiaritatem secum ineundam, tot internis inspirationibus vocantis, allicientis, pertrahētis? Quanta tantæ Dei dignationi & gratuita dilectioni deberetur merito gratiarum actio, & reciproca dilectio? Quanta Beatæ Virgini, quam sic præ omnibus creaturis respexit Deus, congratulatio? His expensis hi affectus gratitudinis, amoris, congratulationis eliciendi.

¶ I. Salutat Gabriel Virginem sic: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Expende hic expressas Beatæ Virginis prærogativas, i. Quod sit gratiā plena, plena, inquam, longè supra omnes Sanctos eminentiā omnium gratiarum, Matri Dei debitarum, plena in primis gratia sanctificante, fide, spe, charitate, humilitate, ceterisque virtutibus: plena deinde sapientia, scientia, pietate, ceterisque Spiritus sancti donis: plena præterea, quoad memoriam sanctissimis cogitationibus, quoad intellectum diuinissimis illu.

illustrationibus, quoad voluntatē, feruentissimis amoris, zeli, aliarumq; virtutum actibus, vehementibusq; desiderijs aduentūs Messiae & redemptionis humanæ. 2. Quod Dominus cum illa, non tantum omnibus modis, quibus est cum iustis omnibus, & quidem multo eminentius per gratiam iustificantem, peculiarem assistentiam, stupendam familiaritatem, sed etiam, quod corporaliter sit in eius utero futurus per incarnationem. 3. Quod sit benedicta omni genere benedictionum illi conuenientium. quod sit præseruata ab omni labe, originali, & actuali, à fomite peccati, ab illa maledictione Euxæ: *In dolore paries* Gen. 3.  
*filios tuos:* ab opprobrio sterilitatis per partum virgineum: insuper quod sit futura Mater omnium benedictionum, utpote paritura promissum Messiam, in quo benedicentur omnes gentes: His expensis congratulare B. Virgini, & gratias age diuinæ Maiestatī pro concessis his ipsi prærogatiuis.

III. Humilis ac prudens Virgo respondet nō verbo, sed prudēti silentio, ac verecūda vultus mutatione, ad laudes suas erubescens, seque indignam reputans, quam Angelus suauiter consolans his erigit: *Ne timeas Maria, inuenisti enim*

*gratiam apud Deum*, innuens fontem omnium prædictarum benedictionum esse meram Dei gratiam & dilectionem. O quàm eximios interim illuminatissima Virgo elicuerit affectus intimæ humilitatis, gratitudinis, amoris, profundissimam suæ vilitatis, & diuinæ Maiestatis, suæ indignitatis & diuinæ benignitatis abyssum intuens, sibi nihil, præter putū suum nihilū, Deo omne suum bonum in solidum ascribens: gratis se te dilectam, gratis ad tantam gratiam se electam, gratis se sic euectam humillimè agnoscens Congratulare illi de tanta gratia, quam inuenit, & de tanta humilitate, qua maiorem promeruit, & æmulare eam in affectibus humilitatis, gratitudinis, amoris.

IV. *De expositione mysterij Incarnationis.*

I. **E**Xponit Angelus Beatæ Virgini, quod sit paritura filium, & qualem, & quātum. *Ecce concipies & paries filium*, talem scilicet, qui 1. sit futurus nomine & re Saluator. 2. Magnus absolute, naturâ, quia Deus; officio, quia summus mediator Dei & hominum, rex, pontifex, legislator, iudex; donis natu-  
ra,

ræ, gratiæ, gloriæ, quibus longè omnes  
 excellet. 3. Filius altissimi non adopti-  
 uus, vt alij iusti, sed naturalis. 4. Qui  
 imperium regno Dauidico significatum  
 longè excellentius obtenturus sit, &  
 regnaturus in domo Iacob spirituali, id  
 est in Ecclesiâ in æternum Hic conside-  
 ra quàm clarè B. Virgo illuminatissima  
 cognouerit hunc ipsum fore verum  
 Messiam toties promissum, vnigenitum  
 nempe Filium Dei incarnandum, quo-  
 modo obstupuerit tantam eius demis-  
 sionem, quâ is, qui naturâ est Deus, di-  
 gnaretur non tantum fieri homo, sed  
 puer paruulus, vt admirabundus in  
 spiritu præuidit Isaias: *Paruulus natus Isai. 9.*  
*est nobis, & filius datus est nobis: & factus*  
*est principatus super humerum eius, & vo-*  
*cabitur nomen eius admirabilis, consiliarius,*  
*Deus, fortis, pater futuri saculi, princeps pa-*  
*cis.* Quàm diuinos iterârunt humilitatis,  
 gratitudinis, amoris affectus? Et hos tu  
 cum illa elice, simulque illi de tanto fi-  
 lio, & filio de tantis præeminentijs con-  
 gratulare.

II. Respondet B. Virgo virginalis in-  
 tegræ voti que sui obseruantissima:  
*Quomodo fiet istud, quoniam virum non co-*  
*gnosco? non Angelo mysterium reuelanti*  
*incredula, sed de modo eius complendi,*

C s ob

Isa. 7.

ob castitatis votum, sollicita, proinde-  
que licet Matrem Messiae virginem fu-  
turam ex Isaiae prophetiâ non ignora-  
ret, prudenter tamen hoc verecundo re-  
sponso deprehendere voluit, num An-  
geli reuelatio cum prophetae reuelatio-  
ne consentiret. O rarum virginalis inte-  
gritatis zelum! O prudentiâ singularem!  
O constantiam admirabilem, quæ nec  
tanti filij promissione se à proposito si-  
neret dimoueri! Has eius virtutes æmu-  
lare, illi congaude, quæ meruit & talem  
filium parere, & virgo permanere.

III. Angelus Virgini anxie, reuerenter  
benigneque modum exponit: *Spiritus san-  
ctus superueniet in te, & virtus altissimi ob-  
umbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex  
te sanctum, vocabitur Filius Dei* Insuper  
dictis fidem astruit exemplo Elisabethe  
sterilis pariturae filium: attamen præci-  
puum credendi fundamentum subijcit:  
*Quia non erit impossibile apud Deum omne  
verbum.* Quales interim beata Virgo  
hæc admiranda Dei opera viuæ fidei o-  
culis intuens elicuerit affectus admira-  
tionis, humilitatis, gratitudinis, amo-  
ris, resignationis, zeli gloriæ Dei, & sa-  
lutis humanæ, quibus tandem è cælo  
in terras traxit filium altissimi, eius con-  
sensum præstolantem! O si & tu hos af-  
fectus

fectus affectuosè frequentares, quam copiosos cælestis gratiæ riuulos in aridum animæ tuæ solum deriuares? imò fontem omnium gratiarum, sponsum cælestem, ad te inuisendum alliceres!

De consensu Beata Virginis.

V.

I. **A** Ssensum B. Virginis auidè expectat Angelus in eius Oratoriolo, sanctissima Trinitas in cælo, homines in mundo, Animæ patrum in lymbo, vti D Bernardus patheticè describit: *Audisti Virgo factum, audisti & modum, utrumque mirum, utrumq; incundū, expectat Angelus responsum. Expectamus & nos, Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium nostræ salutis, statim liberabimur, si consentis. Hoc supplicat à te, ô pia virgo flebilis Adam, cum miserâ sobole suâ exul de paradiso, hoc Abraham, hoc David, hoc ceteri Patres, Patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione umbra mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum filiorum Adam, totius generis tui. Da virgo responsum festi-*

Hom. 4.  
super  
Missus.

nanter. O Domina responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque omnium rex ac dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum, in qua nimirum proposuit saluare mundum: Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo: cum ipse tibi clamet è caelo: O pulchra inter mulieres fac me audire vocem tuam. Si ergo tantum eum facis audire vocem tuam: ipse te faciet videre salutem nostram. Responde itaque citius Angelo, immò per Angelum domino. Responde verbum & suscipe Verbum profer verbum tuum, & concipe diuinum. Emitte transitorium & amplectere sempiternum. Quid tardas? quid tardas? crede, confitere, & suscipe. Aperi Virgo Beata cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium.

O ingens dignatio Sanctissimæ Trinitatis! O ingens ardor amoris Verbi æterni Patris, sic anhelantis ad tantum assumendum onus nostræ redemptionis! Quod onus amore tui mihi deinceps erit recusandum? imò non vltro appetendum, non alacriter cum gaudio amplectendum? Gratiudò, amor, resignatio.

II. Beata Virgo, deliberatione debitâ præ-

præmissâ, cum viuâ fide, profundissima demissione, ardentissima charitate, absolutissima resignatione, ardentissimo zelo parendi diuino beneplacito consentit, inquit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Vbi 1. expende eximiam eius humilitatem, quam exercuit, dum ex intimo corde sentit & dicit: *Ecce Ancilla Domini*: agnoscens se totam esse Domini iure creationis, ideoque eius, non suam se debere semper & in omnibus spectare voluntatem: illi, non sibi laborare; illi, non sibi lucrari; illius, non suam quærere gloriam aut commodum: insuper omnibus domesticis & seruis Domini seruire cum Abigail dicente Dauidi: *Ecce famula tua sit in Ancillam, ut laui pedes seruorum Domini mei*: idq; non ob spem mercedis, quæ sibi non deberetur, sed ex debito seruitutis, quo ad hæc omnia teneretur. 2. Expende perfectissimam eius resignationem ad omnia, quæ diuinæ placerent Maieitati, non solum ad acceptandam dignitatem Mariæ Dei, sed ad omnia etiam onera laborum, persecutionum, opprobriorum illi coniuncta, quæ præsciebat ex prophetis sibi olim cum filio toleranda: absolutissimam obediētiam, alacritatemque exe-

quendi omne diuinum beneplacitum. Eximiam fidem demū cum summa modestia & diffidentia sui coniunctam, dum inquit: *Fiat mihi*: agnoscēs id opus fore omnipotentiae Dei, qui creauit omnia dicens: *Fiat*: quasi dicat: licet me plus nimio sentiam tanto munere indignam, & Deus pro libitu suo de me habeat disponere, si tamen consensum meum requirit, permitto me eius voluntati. *Secundum verbum tuum*: vel alloquens Angelum: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, quod dixisti: vel ad Deum conuersa: *Secundum verbum tuum*, prout disposuisti: vel, *Secundum verbum tuum* æternum mōx incarnandum: fiat in me, fiat quod ille vult. Gratulare Beatæ Virginis de tanta dignitate Matris, & tam heroicis virtutibus illi diuinitus concessis fide, humilitate, resignatione, obedientia, easdemque exerce, & imitari propone.

III. Perfecta tam sublimi, ex sententia, legatione Angelus exultans cœlum reperit, rationeque eius Deo reddita ad plura se obsequia promptum exhibet, totamque cœlestem curiam tam expectato exhilarat nuncio. Congratulatio & gaudium de bonis proximorum, & alacritas parendi hinc æmulanda.

De

## De executione Incarnationis.

VI.

I. **I**N momento, quo Beata Virgo consensit, *Verbum caro factum est.* Quod ineffabile mysterium tota Sanctissima Trinitas operata est, corpus perfectum ex purissimo B. V. Mariæ sanguine formando, animamque rationalem creando, corporique formatæ infundendo, utrumque autem personæ Verbi sic uniendo, ut eadem fieret persona Dei & hominis: atque ita unus & idem esset Deus & homo. idque ex infinito æternæ dilectionis affectu, eo fine, ut homines ex natura filios iræ efficeret filios gratiæ, & reos merito suo gehennæ, diuinæ gratis redderet consortes naturæ. O ineffabile pietatis sacramentum! quousque diuinam Maiestatem se demittere coegit immensus, infinitus, interminabilis, incomprehensibilis erga ingratos Adami nepotes amor! Quam meritò amor ille omni possibili mutui amoris excessu esset compensandus?

II. Porro in hoc magis adhuc cōmendauit nobis filius Dei charitatem suam, quod, licet sibi deberetur corpus immortale & impatibile ob immunitatē à labe originali: & gloriosum, ob claram  
Dei

Dei

Dei visionem, qua secundum animam fruebatur: insuper, licet aliunde potuisset accipere corpus perfectum, nihilominus patibile, mortale & infantile in utero Virginis assumere dignatus sit ex nimia charitate, qua dilexit nos. 1. Ut à vitæ exordio vsque ad finem eiusdem tot ærumnas, tedia, opprobria, tormenta, mortem tolerando abundantius pro peccatis nostris satisfaceret. 2. Ut ab ingressu in mundum vsque ad egressum, continuum nobis humilitatis, patientiæ, mortificationis, omniumque virtutum exemplum præberet. 3. Ut per omnia fratribus assimilatus efficacius nos ad sui amorem pelliceret. Necdumne te, ô cor durum & obduratum, tam tenera Dei tui dilectio emollit? necdum ad redamandum & imitandum tam ingens ardor amoris accendit?

III. In hoc omnium diuinorum operum diuinissimo completo, tanquam se in primis digno, ineffabili cum exultatione sibi summè complacuit Sanctissima Trinitas, ob adimpletam promissionem suam, & luculentissimè manifestatam omnipotentiam, bonitatem & charitatem suam infinitam. Patri peculiaris erat ratio exultandi, quod in hunc hominem Deum summo, præ omnibus

nibus creaturis simul sumptis, amore ferretur: Filio, quod ob arctissimum naturæ humanæ complexam, contractamque cum toto hominum genere cognationem cœperit hominem amare tanquam seipsum: Spiritui Sancto, quod id eximij amoris esset opus, ideoque ipsi peculiari attributum, quodque super hunc eundem hominem Deum, absque mensurâ requiesceret. Tota insuper beatorum civium curia ob spem proximam instaurandarum cœlestis senatus ruinarum mirificè exultavit, infinitam SS. Trinitatis potentiam, sapientiam, bonitatem, charitatem admiranda magnificavit: tantam Filij Dei dignationem suspexit: pro tanta misericordia humano generi exhibita gratias egit; Verbum incarnatum submissè de cœlo in Virginis utero, tanquam caput & regem suum, adoravit. Quanto & te zelo benedicere & glorificare oporteret tantam Dei benignitatem? quàm medullitè de tanta ex hoc mysterio in Deum redundante gloriâ exultare, quàm ardentè redamare, quàm deuotè gratias agere?

*De perfectionibus animæ Christi.*

V I I.

I. **E**odem primo Incarnationis momento.

mento.

momento ea sanctissimæ animæ Christi infusa fuere supereminētissima dona & charismata, quæ Filiū Dei decebant. 1. Immunitas ab omni prorsus macula, imò impeccabilitas. 2. Sanctitas in longè eminentiore gradu supra omnes puras creaturas. 3. Clara Dei visio cum amore & gaudio beatifico similiter in sublimissimo gradu. 4. Scientia infusa excellentissima, qua clare cognouit omnia præterita, præsentia & futura in omnem æternitatem. 5. Potestas excellentiæ in ipsa interiora cordium, remittendi peccata, flectendi corda. 6. Potestas largiendi diuina charismata, instituendi sacramenta. 7. Gratia capitis Ecclesiæ militantis & triumphantis tam hominū, quā Angelorū. His expensis cōgratulare Christo de tantâ tot gratiarum, & prærogatiuarum ei communicatarum excellentia, Sanctissimæque Trinitati gratias age: concipe magnam spem & amorem erga mediatorem & caput adeò sublimibus charismatis largissimè ditatum, à quo proinde sperandus influxus omnium gratiarum in spiritualia eius membra, cum desiderio eximie perfectionis assequendæ, vt fias dignum sub tali capite, talis corporis mystici membrum.

II. Expende singularum prædictarum prærogatiuarum magnitudinem, inspicendo 1. earum latitudinem, quàm latè se nimirum extendant. 2. Sublimitatem, quoad intrinsecam earum perfectionem. 3. Longitudinem, seu durationem deinceps æternam. 4. Profunditatem seu incomprehensibilitatem earundem, quod tam immani interuallo excedant omnes omnium Sanctorum hominum & Angelorum gratias & perfectiones. Renouandi hic prædicti affectus congratulationis, gratitudinis, spei, amoris, zeli eximiæ perfectionis.

III. Expende, quanta redundet ex tanta Christo communicatorum charismatum affluentia & præ eminentia in Sanctissimam Trinitatem gloria: dubio procul longè maior, quàm ex omnibus gratijs vnquam concessis & concedendis vniuersis Angelis & hominibus simul sumptis. Quanta in totum genus humanum, quod in Christo sic exaltatur, dignitas: quanta in singulos viatorum copia gratiarum, quanta in singulos comprehensorum abundantia gaudiorum. Quàm merito ergo nobis Christo cõgaudendũ, & de tanta diuinæ Maiestatis glorificatione, de tãta humani generis exaltatione, de tãta vbertate gratia:

tia:

tiz & gloriæ nobis à Christo proveniente cum gratiarum actione lætandum, quàm ardentè Christus caput nostrum, fons omnium charismatum à nobis mèbris suis, quæ tam tenerè diligit, redamandus? Affectus gaudij, gratitudinis, amoris hinc subdendi.

4. Heb-  
domadæ  
Aduen-  
tus.

Dominica IV. Aduentus.

*De Iudeorum legatione ad Ioannem.*  
Ioan. I.

I. I. **C**onsidera quanti æstimanda sit eximia perfectio, quæ etiam improbos & hæreticos rapiat in admirationem, qualis erat Ioannis, qui ob eam Messias reputabatur à Iudæis, ideoque talis ad eum instituebatur legatio, quæ uis ille minimè suam, sed purè diuinam gloriam in sancta illa viuendi ratione quæreret. Concipiendus hinc zelus proficiendi eximiè in omni perfectione, sed purè ad Dei gloriam.

II. Expende profundissimam S. Ioannis humilitatem, qui, cum posset, si uoluisset, verus Messias falsò reputari, aut saltem verè Elias in spiritu aut propheta.

pheta, imò plusquam propheta, vix eò adigi se passus est, vt fateretur, se esse illum, de quo Isaias: *Vex clamantis in deserto, parate viam Domini.* Quid enim fragilius voce, quæ prolata mōx euanescit? quamuis verè Ioannes totus vox fuerit, quantus quantus fuit, vtpote, qui toto corporis habitu, toto animæ conatu, tota externâ conuersatione clamabat, ad pœnitentiam inuitabat, Christo viam præparabat. Quàm pretiosa gemma Humilitas cum vita exemplari?

III. Expende constantem eius modestiam, cum vrgeretur vltèrius respondere, cur baptizaret, rursus Christum exaltat, se deprimat, memor illius: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* O quàm ardens in corde Ioannis feruebat zelus gloriæ Christi, quam altas fibras egerat despicientia sui?

De affectibus à Christo in momento Conceptionis elicitis. II.

I. **C**Hristus, quoad animam in instanti conceptionis beatissimus erga Deum, cuius essentiam diuinam clarissimè videbat, à quo innumera beneficia

neficia gratis in se profecta suspiciebat,  
 elicuit quatuor actus eminentissimos  
 virtutū, instar quatuor fluminū magno  
 impetu è paradiso erumpentium: vide-  
 licet, profundissimæ humilitatis, suum,  
 quā homo, nihilū intuendo, & gratis se  
 tot charismatis præuentū agnoscendo,  
 gratias agēdo, recōpensare desiderādo:  
 inflāmatissimi amoris, tantā Dei boni-  
 tatē & amabilitatē suspiciendo, reuerē-  
 do, brachijs dilectionis arctissimē con-  
 stringēdo: promptissimæ obedientiæ &  
 oblationis sui ipsius, ad omne Patris be-  
 neplacitū se offerendo, occasionē quo-  
 vis modo illi gratificādi avidè exoptan-  
 do. O si toto corde posses hos quatuor  
 actus exemplo eius quotidie frequen-  
 tare, quos ipse tota vita cōtinuauit, imò  
 continuat æternū, quam gratus Deo  
 foret anima tua paradisi quatuor ex se  
 emittens flumina inflammatorum de-  
 sideriorum, cor Dei penetrantium, &  
 cælestem Ierusalem lætificantium! Hos  
 nunc elice, & frequentare propone.  
 II. Eodem instanti Christus clarè vidēs  
 tot tantaq; omniū & singulorū homi-  
 num scelera, quibus offenderetur Deus;  
 insuper & Patris beneplacitum volen-  
 tis per se illa expiari & humano generi  
 sibi tam dilecto in exitium ruenti re-  
 me-

medium afferri, elicuit similiter suos intensissimos affectus erga homines: scilicet intimi doloris, tanta eorum malitia, & diuinæ Maiestatis offensa summè dolendo, licet ex clara Dei visione summo perfunderetur gaudio: & flagrantissimi amoris erga eosdem homines, quos in tantum amari à Patre cernebat, immensum amoris excessum, quo in Patrem ferebatur, in illos extendendo, ardensque desiderium eos redimendi, diuinæque iustitiæ pro ijs satisfaciendi concipiendo. Et hos eo perfectius elicuit, quo clarius diuinæ offensa grauitatem, & diuinæ bonitatis amabilitatem vidit, ardentiusque Patrem dilexit. Quid retribues, ô homo, tam amabili redemptori & amatori? An non meritò compunctionis profluum, & amoris incendium?

III. Eodem instanti clarè vidit sibi ab æterno Patre proposita omnia & singula, quæ per omnem vitam pro salute hominum sibi forent facienda & ferenda, nec generatim solùm, sed singulatim in numero, pondere & mensurâ: ad quæ omnia & singula sese promptissimè tunc obtulit, eaque tanquam præceptum amantissimi Patris sanctissimum obsequentissimè accepit pro homini-  
bus

bus

Gal. 2.

bus saluandis , nec generatim tantum pro omnibus , sed nominatim pro singulis , quos tunc præ oculis habuit : ipsæque speciatim lacrymarum , laborum , dolorum , omniumque meritorum suorum fructum applicauit , vti & in reliquo decursu vitæ assiduè postea fecit , quod innuit Apostolus : *Qui dilexit me , & tradidit semetipsum pro me.* En qualis amor Saluatoris tui erga te à primo Incarnationis momento , te præ oculis habentis , pro te se offerentis , tibi tam peculiariter pretium Redemptionis applicantis ? An non æquum foret te semper de eo pijssimè cogitare & sentire , eumque ardentissimè iugiter amare : aut saltem crebro actualiter hos affectus renouare , virtualiter verò semper continuare ?

### III. De affectibus B. V. in Conceptu Filij Dei elicitis.

I. **B**EATA Virgo eodem spiritu , qui super filium eius eminentissimè requieuit , afflata , dum incomprehensibile Incarnationis verbi mysterium in se diuina virtute perfici , intellectum suum mirificè illustrari , voluntatem inflammari , seque totam supra se , & humana

mana omnia eleuari sentiret, eosdem quatuor affectus humilitatis, gratitudinis, amoris, resignationis, quos tota vita familiarissimos sibi habuerat, eminentiore modo exercere cœpit, & reliquo vitæ decursu continuauit. Et eò quidem purius, intensius, constantius, insatiabilius, quò clarius post filium præ omnibus Sanctis Angelis & hominibus proprij nihili vilitatem, & diuinæ excellentiæ sublimitatem, tot diuinorum beneficiorum, & charismatum sibi præ omnibus puris creaturis gratis collatorum eminentiam: infinitam Dei amabilitatem, omnimodamque nostram subiectionem illi debitam illuminatissimis fidei oculis cognouit, firmissimè apprehendit: & quò ardentius tam excellenti gratia & charitate prædita Deum amauit, illique ex amore omni possibili modo gratificari auidius desiderauit. Quàm æquum foret si talis Matris filius esse cupis, in his eam affectibus frequentandis æmulari? Quanto id cum merito posses, si seriò velles? Quin ergò nunc id incipis?

II. Eosdem etiã tunc affectus erga proximos solito maiori conatu exercuit, scilicet compassionis, de tot hominum peccatis diuinæque Maiestatis of-

D            fensus

fensis intimè dolendo: & amoris, omnes homines, ceu fratres, & membra Christi filij sui amantissimè complectendo, eorumque perfectionem & salutem zelosissimè desiderando, idq; secundum mensuram eximiae cognitionis (quam habuit de Deo eiusq; amabilitate & in homines charitate, de gravitate peccatorum & enormitate suppliciorum ijs debitorum) & charitatis diuinitus sibi infusae, tot tam heroicis actibus in immensum penè auctae, qua in Deum & quicquid Deus amaret, ferebatur. Eisdem affectus æmulari stude.

III. Similiter exemplo instinctuque filij B. Mater nouo feruore renouauit affectus absolutissimae resignationis, & oblationis sui ipsius liberalissimae ad omnia amplectenda, facienda, & perferenda, quaecunq; ab aeterno Deus decreuisset, & in tempore vellet, se cum filio quantumuis ardua, laboriosa, probrosa, acerba amplecti, facere, & pati. O quam accepta Deo, quam meritoria sui ipsius perfecta immolatio! quanto acceptior quotidiana eius frequentatio! Vtrumque, si vis, cum diuina gratia, praestare potes.

*De Visitatione Elisabetha. Luc. I.*

I. **C**Hristus mox à conceptu munus Sal-

Sal-

Saluatoris auspicaturus, properauit ad Ioannem præcursores suum sanctificandum, vt præberet exemplum humilitatis & charitatis, simulque matrem impulit ad Elisabetham visitandum, vt esset cooperatrix & instrumentum huius primæ sanctificationis, quæ futura erat peccatorum mediatrix: idemque secum præberet exemplum humilitatis & charitatis, quæ post filium futura erat præcipuum speculum omnis perfectionis. Hic expende, quo ardore B. Virgo montana transcendens, comitantibus Angelis, regemque suum stipantibus, miris cœlestium illustrationum & consolationum delicijs affluens, frequentari familiares sibi affectus prædictos, zeli gloriæ Dei & salutis animarum. quâto eminentius eosdem continuerit benedictus eius filius, licet vterque adhuc conclusus, nihilominus iam tunc paratus transilire colles laborum, transuadare torrentes persecutionum, transcendere montes dolorum, opprobriorum, tormentorum, crucis, mortis. Quam te merito oporteret, qui ad montem perfectionis conscendendum vocatus es, hos saltus tam sublimes, pro modulo tuo, à longè saltem imitari?

II. Salutatur Beata Virgo prior Elisabethæ

D 2

be

betham, qua salutatione mediante Verbum incarnatum sanctificat, vsu rationis donat, & lætificat suum præcurso-rem: Elisabetha sentiens exultantem infantem in utero, & repleta Spiritu sancto, magna voce, magnoque affectu prædicat benedictam Matrem, & benedictum eius Filium, intimeque se humiliat, indignam se reputans obsequio visitationis Matris Dei. Quanto & tu ardore te humiliare, diuinamque deberes bonitatem erga te & dignationem suspicere, reuereri, & prædicare, quod toties ad te sanctificandum in sancta communione venire dignetur?

III. Beata ac prudens Virgo sic laudata, non reddit vicem more mundano, sed ad Deum conuersa, in illum omnem laudem transfert, illique omnia charismata accepta transcribens, prorumpit in canticum laudis decem versiculis, quasi totidem chordis constans, quo exultabunda in Spiritu Deum magnificat voce, & toto corde, cum eximie humilitatis, gratitudinis, amoris, zeli gloriæ Dei incensissimo affectu, ob decem causas, quarum tres priores ipsi soli propriæ, reliquæ septem cum alijs communes. 1. Quod Deus se tam vilem, & indignam, tam benignè respexerit. 2. Quod tantis bene-

benedictionibus praeuenerit, ut sit benedicenda ab omnibus generationibus, ad maiorem eiusdem Dei gloriam, & maius ipsorum, à quibus benedicenda foret, emolumentum. 3. Quod sibi fecerit magna, euehendo se in Matrem Dei, alijsque idè tot tantisque gratijs ditando. 4. Ob misericordiam eius in omnes diffusam. 5. Ob potentiam, qua miraplurima patrauit in mundi creatione, conseruatione, gubernatione, & mirabilium tandem mirabilissimum, Incarnationem Verbi. 6. Ob iustitiam in superbis omnibus, Lucifero, Pharaone, Nabuchodonosore alijsque passim humiliandis. 7. & 8. Ob iustitiam simul & misericordiam eiusdem potentes de sede deponentis & humiles exaltantis, esurientes replentis, abundantes egestate punientis. 9. Ob prouidentiam singularem erga suos, quorum, licet videatur ex interuallo obliuisci, in tempore tamen semper ijs benignè subuenit. 10. Ob fidelitatem in promissis certò seruandis, ut patet in missione tot iam retroactis saeculis promissi Messiae, dilata quidem, attamen tempore oportuno executioni mandata, impletisque promissionibus olim Patribus factis. Nec contenta fuit deuotissima Virgo, hos

affectus semel elicuisse, se tota reliqua  
vita eisdem deuotissimè frequentauit  
& quidem his tribus mensibus, quibus  
Elisabethę suum obsequium humillimè  
deserebat, eisdem frequentare cœpit eò  
ardentius, quò recentius se tot gratijs  
extraordinarijs ornatam, in super & di-  
gnitate Matris Dei insignitam animad-  
uertit: & hoc quanto cordis iubilo,  
quanto interno solatio, quanto gratię &  
glorię incremento? Et tu quàm lætus  
viueres, quàm securus morereris, si hos  
affectus Beatę Virginis in *Magnificat* ex-  
pressos deuotè frequentare conareris?

*De reuelato Sancto Iosepho anxio  
Incarnationis mysterio.  
Matth. 1.*

I. **E**Xpende miram Dei in his duabus  
sanctissimis personis probandis  
prouidentiam, quod permittat & Bea-  
tum Iosephum virum rectissimum, su-  
perantem fide Abraham, tolerantia Ia-  
cob, castitate alterum Iosephum, con-  
suetudine cum Deo Moysen, charitate  
proximi Samuelem, humilitate & man-  
suetudine Dauidem, tam graui de in-  
temeratissimæ Sponsæ lapsu angi, id quę  
tanto

tanto tempore: & similiter electissimam Matrem filij sui, supra omnes puras creaturas sibi longè carissimam, propter tam acerbam dilecti sponsi mysterij ignari afflictionem contristari: cum tam facile posset vtrumq; expedire, vel statim Iosepho mysterium Incarnationis reuelando, vel Beatæ Virgini, vt id reuelaret, indicando Quàm verè Dominus, quos amat, castigat, idq; ex immenso paternæ charitatis affectu ad maius eorum meritum gratiæ in via, & augmentum gloriæ in patria! O quâto ergo reuerentiæ, fiduciæ & amoris affectu omnia aduersa à paterna Dei providentia electis immissa, vel permissa sunt acceptanda?

II. Expende quàm insignem beatus Iosephus patientiam exercuerit, dissimulando factum, non exprobrando, nõ deferendo: & prudentiã, deliberãdo maturè, quid sibi agendũ, non præcipitãdo sententiam: deindè, quam profundam B. Virgo humilitatem, heroicamque in diuina providentia confidentiam nobis æmulandam proposuerit, nullam sui defensionem adferendo, nullo verbulo mysterium tantum in se peractum inuendo, rem totam diuinę providentię committẽdo. Quam eximium, has vir-

tutes in re tam ardua tam heroicè exercendo, meruere earundem incrementum? quam ingens gratiæ & gloriæ augmentum? Cur, quod admirari libet, imitari pigeat?

III. Expende inopinatum vtriusque gaudium ex reuelatione mysterij Iosepho facta per Angelum in somno eum monentem. *Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorū.* Quàm copiosè Deus electos suos aduersa de paternâ manu sua tanta cum longanimitate, patientia, fiducia acceptantes consolatur? Verè secundum multitudinem dolorum consolationes diuinæ lætificare solent animas eorum. Quàm humiliter Iosephus à castissima Virgine veniam errati sui supplex petierit, quomodo se indignum eius immaculatissimo consortio reputarit, & nutritium Christi se constitutum admiratus sit? Quàm B. Virgo suauem diuinæ providentiæ dispositionem suspexerit, Deum laudarit, in spiritu exultarit? O quàm suauiter & securè, quantumuis vadique irruentibus & nauiculam mentis concutientibus aduersitatum, tentationum,  
& pe-

& periculorum procellis in tutissimo  
diuinæ providentiæ sinu quiescitur! Ad  
hunc per crebrum resignationis exerci-  
tium confuge, & quod miraris, experie-  
re.

## De expectatione partûs.

## VI.

I. **C**ONsidera quàm ardens fuerit  
sanctorum Angelorum in cœlo,  
Patrum in lybæ, iustorum in mundo  
mysterij tanti consciorum, desiderium  
videndi Christum in lucem editum, v-  
nanimi consensu ingeminantium: *Veni*  
*Domine & noli tardare, manifestare coram* *Psal. 79.*  
*Ephraem, Benjamin, & Manasse: Veni spe-*  
*cinse forma præ filiis hominum. Ostende nobis*  
*faciem tuam, sonet vox tua in auribus no-*  
*stris, vox enim tua dulcis, & facies tua deco-*  
*ra!* Quanta interim alacritate ad debita  
illi obsequia deferenda se accinxerint?  
An non idem tibi multo magis facien-  
dum, ad eundem Christum per nouam  
gratiam in te quasi renasciturum dignè  
suscipiendum?

II. Quantò ardentius fuerit Beatæ  
Virginis desiderium videndi, adorandi,  
amplexandi lactandi, omnique mater-  
no affectu & obsequio fouendi dile-  
ctum viscerum suorum, electum ex-

D 5

mil-

Cast. 8.

millibus, diuinissimum suum & æterni  
 Patris filium, & identidem ad illum sus-  
 spirantis: *Quis mihi det te filium meum,  
 fratrem meum, Deum meum, & inueniam  
 te foris, & deoscular?* Quanto interim fer-  
 uore ad vicinum partum tanti filij, ma-  
 ternaque illi dignè perfecteque exhiben-  
 da ministeria se disposuerit per conti-  
 nuum illi magis magisque in omni pur-  
 ritate, sanctitate ac pietate placendi de-  
 siderium, per assiduum humilitatis, gra-  
 titudinis, amoris, resignationis exerci-  
 tium? tanto dubio procul studiosius,  
 quò clarius eius excellentiam, præ reli-  
 quis omnibus, cognouit, quò tenerius  
 eum, à quo se tenerrimè diligi sciebat,  
 vicissim dilexit. Et quidem absque vllò  
 angore de futura partus difficultate,  
 nec enim dubitabat se virginem sine do-  
 lore parituram illum, quem virgo non  
 humano modo, sed diuino prorsus cum  
 liquidissimo mentis gaudio concepisset.  
 En modum præparandi te ad Chri-  
 stum, in te per nouam gratiam renasci  
 paratum dignè excipiendum.

III. Quanto demùm eminentius fuerit  
 desiderium, ipsius diuini infantis in lu-  
 cem prodeundi ad perficiendum opus  
 nostræ redemptionis, vt iam tunc sus-  
 spirabundus ingeminaret: *Baptismo ha-*  
 beo

*beo baptizari, & quomodo coarctor, donec Luc. 12.*  
*perficiatur.* Quantò interim ardore pa-  
tiendi, & pro peccatis nostris satisfaci-  
endi se in angusto virginalis vteri carce-  
re per nouem menses continuerit, & in  
illo veluti secessu se armis humilitatis,  
patientiae, obedientiae, resignationis,  
zeli gloriae Patris & salutis humanae, ad  
confligendum in carne nostra mortali  
cum superbissimo humani generis ho-  
ste, munierit, praedictarum virtutum  
actus intensissimos frequentando, vti  
olim in secessu in Eremum 40. dierum  
contemplatione, oratione, ieiunio ad  
idem certamen consummandum, & pre-  
dicationis officium inchoandum se erat  
dispositurus? En ideam secessus spiritua-  
lis ad feruorem spiritus instaurandum  
subinde instituendi, auidè amplectendi,  
sanctèque impendendi.

---

*In Vigilia Natiuitatis.*

*De profectioe B. Virginis, & Iosephi in V II.*  
*Bethlehem. Luc. 2.*

I. **A**ppropinquante Virginei partus  
tempore, Octavianus Augustus,  
D 6 cum

cum edicto Cæsareo orbem describi curasset vniuersum, iussissetque per Cyrinum præfidem in Iudæâ quemq; in sua ciuitate nomen profiteri, tributumque soluere: ea occasione ascendit Iosephus è Nazareth in Bethlehem, vnde erat oriundus, cum B. Virgine prægnante. O admirandam diuini Numinis prouidentiam! nihil enim minus Cæsar Augustus, ambitione ad ostentandam imperij sui magnificentiam, & cupiditate auri coaceruandi ad hanc descriptionem inductus, cogitabat, quam subseruare diuinæ prouidentia in executione diuinissimi mysterij hac occasione, prout prænuntiatum erat, in Bethlehem complendi!

*Mich. 5.*

Quis non obstupescat hoc tam miro & improuiso modo impletum illud Michæ vaticinium: *Et in Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.* quod aliàs vix videbatur humanitùs posse impleri, cum tempus partùs instaret, nec ratio vlla tam alieno anni tempore è Nazareth in oppidum benè remotum Bethlehem peregrinatum eundi appareret. Quàm exultanda B. Virgo cum sancto Iosepho hoc quantumuis asperum, prolixum, horridumque

Jumque præsertim brumali tempore iter confecerit, non grauata, sed subleuata sacra, quam ferebat, sarcina, suspensa in admiranda & magnificanda tam suauis, & mirabili, quam clarè agnoscebat, diuina prouidentia? quam ardentè mente in Deum, quem in utero gestabat, defixa, familiares sibi humilitatis, gratitudinis, amoris, resignationis affectus continuò exercuerit? quam diuina nunc cum illo, nunc cum Iosepho miscuerit colloquia?

O si & tu simili pietatis sensu iter peregrinationis ad cœlestem patriam instituire merereris, diuinam prouidentiam semper, & in omnibus admirando, eosdem affectus, eadem colloquia frequentando, quanto gaudio omnes exilij tui molestias sufferes? quanto meritorum augmento difficultatibus omnibus superatis metam laborum omnium attingeres, & tandem, quò tendis, feliciter peruenires? Admiratio diuinæ prouidentia, & frequentatio affectuum prædictorum, amor studiumque piorum colloquiorum.

II. Beata Virgo cum Iosepho ærumoso fatigata & fracta itinere cum Bethlehem attigisset, nullum inuenit tam hospitalem ciuem in tota cognatione sua,

sua, qui peregrinam grauidam domo exciperet, ob ingentem hominum multitudinem cæsareo edicto istuc euocatorum, qui omnia hospitia præoccuparant. O quot sceleratissimis etiam peccatoribus satis commoda tunc suppetebant diuersoria; sanctissimis autem his tribus personis, Filio Dei, Beatæ Mariæ, & Iosepho nutritio eius excipiendis ne angulus quidem ullus reperiebatur! *Non erat eis locus in diuersorio.* O quoties etiam hodie cæci peccatores cordis sui ianuam mundo, carni, demoni reserant, Christo præcludunt! En quomodo contemptum mundi, amorem paupertatis & contemptum sui nobis inculcat. Iesus necdum natus, qui *in propria uenit, & sui eum non receperunt.* iam tunc implens illud: *vulpes foueas habent, & vulucries cæli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet:* Quàm sereno hilariq̃ue id B. Virgo cum S. Iosepho tulerit animo, non ignara filium uenisse de cælo, ut genus humanum per amorem mundi, & sui perditum, per contemptum mundi & sui repararet. Compassio, contemptus mundi, amor paupertatis, contemptus sui.

III. Beata Virgo cum sponso suo omni hospitio exclusa, oppidulo digressa subi-

*Ioan. I.*

*Luc. 19.*

bñt annexum mœnijs stabulum, seu spec-  
 cum, quæ erat ad pedem collis, in quo  
 Bethlem erat sita, versus orientem,  
 ad quam peregrini pastoresque, ingru-  
 ente tempestate se recipere solitabant.  
 Quàm exultabunda in spiritu cœlorum  
 regina, diuinorum conscia secretorum,  
 hoc olidum, humile, angustum, squali-  
 dum, cœlique iniurijs peruium bruta-  
 rum pecudum ruguriolum subierit, il-  
 luminatissimis oculis mentis certo co-  
 gnoscens hoc decempedale gurgustium  
 suis delegisse cunabulis illum, qui tri-  
 bus digitis molem terræ appendit, quæ  
 soli poli que vastitas non comprehen-  
 dit! Quàm insolito pietatis sensu, quam  
 largo lachrymarum profluuio in con-  
 suetos suos affectus laudis diuinæ pro-  
 uidentia & bonitatis, gratitudinis, hu-  
 militatis, amoris, resignationis erupe-  
 rit, sui omniumque creaturarum oblita,  
 tota in Deum creatorem suum absorp-  
 ta! Imitatio B. Virginis in præfatis affe-  
 ctibus frequentandis & re ipsa expri-  
 mendis.

In festo Natiuitatis Domini.

De Natiuitate Saluatoris. Luc 2.

℞.

I. **B**eaata Virgo cum mediam penè  
 noctem.

Sap. 18.

noctem profundissimis Incarnati Verbi  
 mysterijs contemplandis, prædictisque  
 affectibus ciendis intenta, liquidiſſimis  
 que gaudijs perfusa exegisset, iamque  
 instare tempus parendi præſentiret iu-  
 xta illud: *Cum quietum silentium tenerent*  
*omnia, & nox in suo cursu medium iter ha-*  
*beret, omnipotens sermo tuus de celo à rega-*  
*libus sedibus proſiliuit, nouo feruore pi-*  
 os præfatos affectus vehementius intē-  
 dere, in abdita diuini consilij mysteria  
 penetranda profundius mentem defige-  
 re, ardentiori diuini amoris æstu in-  
 flammari, maiori diuini sui foetus vi-  
 dendi desiderio succendi, vberioribus  
 diuinarum consolationum delicijs li-  
 queſcitur cœpit: cumque iam tota quasi  
 rapta, ignita & absorpta infimis precibus  
 æterno Patri supplicaret, vt filium, cu-  
 ius se Matrem esse voluisset, mundo  
 tandem exhiberet: Ecce tibi repente  
 absque omni dolore, summo cum gau-  
 dio, illibata prorsus virginæ pudoris in-  
 regritate, dilectum viscerum suorum,  
 vnigenitum suum, infantulum tenellu-  
 lum, frigore tremulum, iamque lachry-  
 mis & vagitibus opus redemptionis  
 humanæ auspiciantem, coram se iacen-  
 tem vidit, quàm ineffabili pietatis sen-  
 su, mentis excessu, intimorum præcor-  
 dia-

diorum tripudio! quo stupore attonita Deum Creatorem & Salvatorem suum sic exinanitum primum aspexerit, qua reuerentia, submissione, deuotione eundem nomine totius humani generis, adorarit, gratias eidem egerit, obsequia debita obtulerit? Congratulare Beatæ Virgini, eisdemque cum illa affectus excita.

II. Cum reuerentialis timor illuminatissimam Virginem Matrem vehementer retraheret à diuino infantulo, quem filium Dei & verum Deum agnoscebat, ipsis angelicis potestatibus tremendum, contingendo; nihilominus maternus amor ad eundem eleuandum, fouendum, amplexandum, dissuauandumque acrius exstimularer; attēperato utroque tandem affectu, deuotissima simul & amantissima Mater, nō reuerenter minus, quàm amanter illum virgineis vlnis excipit, tanquam verum Deum suspicit, veneratur, adorat; & tanquam verum suum secundum carnem filium amplexatur, exosculatur, pectori apprimat, puris linteolis mundisque lacernulis inuoluit, virgineo lacte pascit, omniaque materna officia, quàm amantissimè illi exhibet. idque quàm ineffabili cum spiritus gaudio, quàm

quàm insinuato diuinæ dulcedinis sensu quã inæstimabilis humilitatis, gratitudinis, amoris, deuotionis excessu! O si simili affectu vltis cordis tui eundem illum, quẽ B. Mater brachijs excipiebat & constringebat, in sacra communione reuerenter excipere, & amanter constringere merereris, quam largifluo quoque gaudiorum imbre perfundereris? quam insolito diuini amoris æstu accendereris?

III. Simili reuerentiæ, deuotionis & amoris affectu cum perfrigida longæ noctis bruma sæuaret, diuinum pusionem panniculis lacernulisque inuolutum in præsepio, quod aliæ cunæ culcitraque deessent, reclinat, fœno tegit, iumentorum propè astantium halitu confouendum. O si Isaias hæc corã vidisset inter cætera, quæ in spiritu viderat, cum exclamauit: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius*, quam attonitus obstupuisset, eum ab hominibus non aliter excipi, sed penitus negligi, à iumentis verò agnosci & foueri, cernens sic impleri illud à se prædictum: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Quàm clarè & piè  
hæc

Isai. 9.

Isai. 1.

hæc intuens B. Virgo cum sancto Iosepho, quales affectus compassionis, admirationis, gratitudinis, adorationis, amoris nocte illa lachrymis & cœlestibus solatijs irrigata frequentarit? Fac & tu similiter.

In festo Sancti Stephani.

Vel de Euangelio Matth. 23.

*Quam vide infra.*

Vel,

*De vita eiusdem, iuxta communem modum meditandi de vitis Sanctorum.*

I I I.

I. S T E P H A N U S ab æterno à Deo electus est ad tantam gloriam Protomartyri Christi debitam, & in tempore omnibus naturæ & gratiæ præsijs ad eam adipiscendam necessarijs largiter instructus, idque ex gratuita misericordia & liberalitate: idè tali loco, tali tempore natus, tali indole, ingenio, doctrina, sapientia, eloquentia dotatus, sic ad fidem conuersus, tam eminenter charismatis Spiritus S. repletus, tanto zelo diuinæ gloriæ, inuictæque animi fortitudine ornatus fuit. O quàm incomprehen-

hensi-

hensibilis est bonitas, misericordia, charitas Dei, S. Stephanum, & quemuis Electorum ad talem gradum gloriæ ab æterno prædestinantis, tamque suavia & efficacia media, omnia & singula ad eum consequendum cuique præordinantis, & in tempore per hæc eadem media tam suaviter, efficaciter & mirabiliter vnumquemque ad præstitutum finem per cooperationem liberi arbitrij tandem deducentis? Agnosce eandem Dei erga te dignationem, admirare, gratias age, amantem redama.

II. Stephanus tam extraordinariæ diuinæ liberalitati erga se, gratum se exhibuit, acceptæque tantę gratię strenuè cooperatus fuit. studendo purè, intense, constanter, insatiablem. Eximia innocentia, angelicæ modestiæ, & vitæ exemplari. 2. Ardenti zelo fidei & glorię Christi propagandæ, & salutis animarum promouendæ. 3. Perfectæ charitati erga Christum, pro eo mortem tam promptè oppetendo, & similiter erga proximos, etiam inimicos, pro persecutoribus orando. Zelus in his eum imitandi excitandus.

III. Christus eundem mirificè gloria & honore coronauit in hac, & in altera vita, ex gratuito ineffabilis misericordia,

cordiæ, charitatis, liberalitatis excessu; in hac quidem ei pro se certanti spectabilem se exhibendo, auxilium & brauium offerendo, ad constantiam martyrij eundem animando, & nunc vniuersæ Ecclesiæ, tanquam primicerium Martyrum solenniter colendum æmulandumque proponendo: in altera inæstimabili cum essentiali & accidentali gloria, eximiaque Martyrum aureola æternum remunerando Affectus congratulationis de tanta eius gloria, laudis & amoris tam munifici Saluatoris & glorificatoris, cum firma spe similis gloriæ in aliquo saltem gradu consequendæ subiungendi.

*Hic modus discurrendi, affectusque similes excitandi, accommodari facile potest meditationi cuius de vitâ alicuius Sancti.*

In festo Sancti Ioannis Euangelistæ.

*Vel de Euangelio Ioan. 21. Quam vide infra 3. part. hebdom. 2. post Pascha, med. 5.*

Vel

*De vita eiusdem B. Ioannis.*

III.

- I. Iohannem ab æterno gratis elegit Deus ad insignes prærogatiuas gratiæ

gratiæ & gloriæ tanto Apostolo, Evangelistæ, Prophetæ, Martyri, Doctore, Virgini, peculiari B. Virginis filio congruentes; ad quas promerendas eundem in tempore tam mirè deduxit, per tam suavia media, ab æterno illi præordinata. Ideò in primo flore ætatis innocens à Christo vocatus, præ omnibus peculiariter dilectus, supra alios diuinorum mysteriorum scientia illustratus, ad intimam Christi & B. Virginis familiaritatem admissus, longiore vita supra omnes Apostolos ad merita sua augenda donatus, &c. vt supra. Admiratio, congratulatio, gratitudo, amor.

II. Ioannes tam peculiari dilectioni se gratum exhibere, tamq; eminenti gratia cooperari conatus fuit, 1. Innocentiam cum ingenuo candore, simplicitate & humilitate coniunctam, illibatam conseruando. 2. Christum tam peculiariter se amantem, tenerrimè redamando, & B. Matrem eius filiali amore, honore, obsequio prosequendo. 3. Ardentissimum fraternæ dilectionis zelum ergà omnes tota vita exercendo, omnibusq; eundem, exemplo, verbo, scripto inculcãdo Feruor in his cum æmulãdi.

III Mirificè à Christo fuit in hoc sæculo exaltatus, vt habeatur, colatur, celebratur

breterur inter principes Apostolorum, Aquila Euangelistarum, vertex Theologorum, primicerius Virginum, dilectissimus Christi discipulorū: In altero excellenti sublimatus gloria, & triplici, Virginum, Martyrum, Doctorum aureolâ. Congratulatio, gratiarum actio, amor, spes similis gloriæ.

In festo Sanctorum Innocentium.

IV.

I. **I**Nfantes quos filius Dei ab æterno in Martyrum primitias, Virginumque primæuos flores ex gratuito infinitæ dilectionis affectu elegerat, nunc factus infans, & in cunis vagiens, è cunis innocentes miro quidem & occulto, sed pio & misericordi consilio ad se traxit, permittendo eos sæuitia Herodis in odium sui, vita in vitæ primordio priuari, vt sic moriendo ipsum confitentes, martyrij aureolâ mererentur coronari, qui si diutius vixissent, fortassè linguis suis cum reliquis ludæis eundem crucifixissent. Quam mirabilis Deus in omnibus operibus suis, maximè in operibus tantæ miserationis, tam gratuita & gratiosæ electionis! Quam reuerenter suspicienda, quam gratanter

acce-

acceptanda, quàm ardentè redamanda tam incomprehensa sapientia, misericordia, bonitas? Congratulatio, gratiarum actio, amor.

II. Ex tam immani ambitiosi Herodis à dæmonibus instigati mora contra Christum persecutione, & crudeli infantium trucidatione, quot & quanta Diuina bonitas elicit bona? Videlicet sanctificationem & glorificationem tot innocentum Martyrum, quorum salus aliàs periclitatura fuisset; diuulgationem fame, de gloriosa Christi veri Messis & regis Iudæorum tot oraculis promissi natiuitate, quæ ex tam inaudito & tyrannico Herodis facinore, per totum Romanum imperium, orbemque vniuersum clarius innotuit: & tam largam benedictionem à Christo impertitam Ægypto, vt quæ omnium superstitionum fuerat receptaculum, fieret postmodum veræ religionis & pietatis seminarium, ex qua tanta prodiret multitudo religiosorum, tantus numerus sanctorum martyrum & confessorum.

Rom. 8.

O quàm verè diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui secundum propositum vocati sunt Sancti! Quàm pio ergò, grato, promptoque animo omnes persecutiones, calumniæ, iniuriæ à quocun-

cunque illatae de manu Dei electis omnia mala in bonam conuertentis sunt acceptanda? Admiratio, resignatio.

III. Quantus fuerit dolor, clamor, eiulatus, quam irremediabiles lacrymae matrum, quarum corda eodem quo filiorum corpuscula, crudeli ferro transgebantur? quanto sanctiores B. Virg. compassionis lacrymae, ex audito tam lamentabili spectaculo oborta? quanto demum diuiniore lacrymulae Christi infantis, horum omnium lacrymulas internosque dolores, omnes singulorum istorum infantium, imò omnium futurorum Martyrum persecutiones, cruciatus, mortes clarè inuentis, ex intimo compassionis affectu profusae? Quam heroica simul resignatio in sanctissimum beneplacitum aeterni Patris haec omnia ad maiorem suam Electorumque gloriam, ex inscrutabili diuinæ sapientiae suae abyssu permittentis? Compassio, admiratio diuinorum iudiciorum, resignatio.

*De exaltatione Angelorum in Natiuitate Domini, eiusdemque adoratione.*

I. **E**Xpende, quanta exultatione &  
E ad-

admiratione omnes Angelorum hierarchiæ Verbum æternum nuper incarnatum, nunc in lucem editum, & in præsepio collocatum, è cælo empyreo suspexerint; quanto tremore & reuerentia filium Altissimi sic se humiliantem adorarint; quanta demissione eidem, ceu Domino & Regi suo se submitterint, eius supremum in omnes dominium humiliter agnoscentes, diuinam Maiestatem submissè venerantes, & debita obsequia sua reuerenter eidem offerentes, atque ita implentes æterni Patris decretum, de quo Apostolus:

*Hebr. i.*

*Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius. In affectibus his exercentis Angelos æmulare.*

II. Quàm promptè omnes Angelici spiritus, cum Regem ac Dominum suum humanos artus indutum, ab hominibus non agnosci, nec debitè excipi, sed omninè negligi cernerent, obtulerint se æterno Patri ad manifestandam mundo eius infinitam dignationem, maiestatem, gloriam. quanta alacritate & gaudio omnes in terras reipsâ id præstituri descendissent, nisi hoc officium celestis Pater certis quibusdam demandasset, reliquos è cælo eundem adorare iussisset.

Simi.

Similem zelum Christi gloriam propa-  
gandi, eiusque cognitionem, amorem,  
cultum hominibus inculcandi excita,  
offerendo te ei cum Propheta Isaiâ: *Eccce  
ego, mitte me*, desiderans instar Seraphi-  
norum totum mundum peruolare, &  
voce grandi intonare: *Sanctus, sanctus,  
sanctus Dominus Deus exercituum*, regnans  
in cœlis, & vagiens in cunis: plena est  
omnis terra gloria eius, quæ quò magis  
occultata fuit in vili stabulo, eò magis  
nunc dilaturatur in toto mundo.

III. Quanta deuotione, quanta sub-  
missione omnes Angelorum ordines,  
cùm simul in terras descendendi, & ho-  
minibus gloriam tanti regis prædicandi  
facultas negaretur, certarim omnes cœ-  
perint suspicere, laudare, & glorificare  
infinitam Verbi incarnati, in vlnis Ma-  
tris vagientis, in præsepi præ frigore  
tremementis maiestatem, potentiam, sapi-  
entiam, sub velo tantæ humilitatis, tan-  
tæ imbecillitatis, tantæ ignorantia lã-  
tentem, infinitam eius in homines tam  
ingratos charitatem, bonitatem, libera-  
litate: item sublimissimas sanctissimæ  
humanitati eius cõcessas prerogatiuas,  
de quibus suprâ medit. 7. hebdom. 3. Ad-  
uent. Quanto stupore attoniti inflãma-  
ti Seraphini se frigidos, Cherubini sci-

entia eminentissimi se ignorantes, alij alijs donis excellentissimi se in his imperfectos in comparatione huius diuini infantuli iudicant: imò quàm profunda cum humilitate nihilum suum agnorint, omnia sibi communicata gratis charismata illi accepta retulerint: quanto demum ardore in laudes huius diuinissimi mysterij proruperint, & hominibus de tanta præstita ijs gratia congratulati sint, simul concipientes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis*, totis viribus desiderando & fouendo, Deo ob hoc maximum Incarnationis & Redemptionis humanæ mysterium ab omnibus, omni possibili modo deferri, omnem possibilem gloriam, laudem, benedictionem, gratiarum actionem in æternum & ultra: & hominibus optando perfectissimam cum Deo, proximis, secum ipsis pacem, per hanc tantam filij Dei incarnati dignationem ipsis è cælo in terras allatam. Affectus admirationis, laudis, gratiarum actionis, congratulationis, & zeli gloriæ Dei, & salutis animarum subiungendi, & cum similibus affectibus Angelorum perfectissimis offerendi.

De annunciata pastoribus per Angelos VI.  
Christi natiuitate.

I. **A** Eternus Pater ineffabili cum gaudio intuens tantam filij sui infantiles artus induti humilitatem, ad manifestandam mundo eius sublimitatem, & gloriam, destinat in terras certam Angelotum multitudinem, quorum vnus splendens sibi ex aere assumens corpus, Natiuitatem eius annunciauit, non diuitibus, non sapientibus, non nobiles, non delicatis mundi amatoribus, sed pauperibus, simplicibus, humilibus, laboribus assuetis pastoribus, qui propè turrim Heder, vbi Patriarcha Iacob gregem pauerat, vno non amplius milliari versus orientem à Bethlehem, pro suo grege excubabant.

Quàm felices illi pastores, quibus exhibita est Angelica visitatio, & tanti mysterij facta reuelatio, præ tam multis alijs, de quibus D. Bernardus: *Quàm multi nobiles secundum carnem, quàm multi potentes, quàm multi sapientes huius seculi hora illa in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est nouam videre lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes: Gloria in excelsis Deo.*

Serm. 3.  
de nat.

Quàm placet sapientiæ Dei incarnatæ contemptus opum, honorum, deliciarum! quem & exemplo suo probauit, & in pastoribus Angelica uisitatione commendauit. Hunc in Christo & pastoribus studeat æmulari, quisquis cupit diuinas consolationes experiri.

II. *Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno: & dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate David. Et hoc uobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Quanta illa benignitas Dei erga hos pauperculos pastores, quorum intellectum sic illuminauit, ut crederent & agnoscerent esse illum verum Saluatorem mundi, Altissimi filium, Angelorum gaudium, quem tunc audiebant, & paulò post videbant, ceu pauperis matris filium in præsepio iacere pannis inuolutum, tanquam hominum opprobrium; affectum sic inflammauit, ut illum solum super omnia amandum, illum desiderandum, quærendumque præ omnibus rebus certo sibi persuaderent, nec quærere desisterent, donec inuenissent. *Quantò*

tò maior benignitas eiusdem Dei & Saluatoris nostri ergà omnes, quos ex peculiari gratia mundi illecebris ad statum perfectionis vocat, tam mirabiliter illuminando, tam efficaciter mouendo, tam suaviter trahendo, vt clarè agnoscant omnibus mundi lenocinijs amore Christi crucifixi esse sibi renuntiandum, idque quamprimum reipsâ præstare ardentissimè velint ac desiderent, nec quiescant, donec votorum suorum compotes facti, ad vexillum crucis euolent? Quò maior hæc gratia Dei & benignitas, eò maior pro eadem rependenda gratitudo, & in diuino seruitio alacritas.

III. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militia cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax &c.* Expende, quomodo sancti Angeli intuentes, & obstupescentes filium Dei sic amore hominum humiliatum, Diuinam maiestatem ob diuinissimum hoc Incarnationis mysterium, quod præ omnibus alijs admirandis operibus infinitam eius gloriam & magnificentiam luculentissimè manifestat, cœlesti hæc symphonia collaudent & glorificent; hominibus de tam inæstimabili beneficio bonisq; inde in eos deriuâdis con-

gaudeant; pastores ad quærendum recens natum Messiam animent; simulque nos instruant, quid nobis, pro quibus Christus natus, agendum sit, videlicet, Deum pro tanto infinitæ suæ in nos charitatis monumento glorificandum, pro tanta gratia gratias illi referendas, pacem, quam è cælo in terras attulit, esse nobis omni studio quærendam & conseruandam, pacem, inquam, triplicem cum Deo, per studium conscientie puritatis; nobiscum ipsis, per praxin mortificationis; cum proximis, per exercitium fraternæ dilectionis. Deinde quanta reuerentia, quanta deuotione & exultatione in recessu, vt credibile est, præsepe inuiserint, diuinumque illum hymnum suauissimo concentu repetuerint, quam incredibili B. Virginis, & S. Iosephi gaudio & mentis excessu? O si intellectu & affectu, lingua & vita hunc Angelicum hymnum iugiter concinere satageres, quam suauiter aures militantis simul & triumphantis curiæ, imò ipsius diuinæ Maiestatis demulceres? Gratitudo, zelus gloriæ Dei, & charitas proximi.

## De adoratione Pastorum.

## VII.

I. **E**Xpende, quo pacto Pastores animati allequo & concentu Angelico se inuicem excitant, ad Messiam natum quærendum & adorandum, sicut Seraphim concutientes inter se alas suas ad sacrum Deo trisagion concinendum; simulque nutum pro imperio accipientes, relicto grege, in Bethlehem properant, quanto cordis tripudio, quanto tanti prodigij videndi desiderio! Quanta gratia à Deo ad perfectioris statûs fastigium, aut maioris in spiritu feruoris studium vocari suauiter, & trahi efficaciter! & quanto maior vocantem Deum festinanter cum alacritate sequi, & tantæ gratiæ cooperari? Gratitude, feruor diuinis inspirationibus statim parendi, gratiæque vocationis cooperandi.

II. Quo stupore repertum diuinum infantem in stabulo, positumque in præsepio, suspexerint, qua reuerentia, partim insolito iubare ex eius vultu præmicante excitati, partim interno diuinæ lucis radio collustrati, eum tanquam verum Messiam adorarint; qua demissione B. Matrem eius, diuinum

E. s; quidi

quid spirantem, salutarint; qua sinceritate illi de tali prole cōgratulati fuerint: qua exultatione ab Angelo sibi reuelata, auditam cœlestem symphoniam retulerint, & vicissim ab ea admiranda quadam de eodem diuino infantulo audierint: qua deinde modestia, affabilitate, benignitate eos B. Mater exceperit, in fide, spe, charitate confirmarit, ad gratias Deo agendas excitarit: quàm demùm infantulus ipse eorum obsequium sibi gratum esse blandulo vultu comprobarit, & quàm liberaliter mirè illis communicato solatio remunerarit!

*Prou. 3.*

O quàm verè cum *simplicibus sermocinatio eius!* Quanta teneritudo amoris eius ergà humiles, simplices, candidos, simplici sinceroque corde in diuino seruitio procedentes, non aliud, quàm diuinam gloriam spectantes, omni humano respectu posthabito, eximie Deo, non hominibus placere desiderantes! Studium candoris, veræ simplicitatis & innocentia, & puræ intentionis.

III. Quanta exultatione reuersi pastores Deum laudarint, visa & audita tam mirabilia ruminarint, & inter se contulerint, obuijsque omnibus narrarint: quanta deuotione sæpius deinceps præsepe reuiferint, cum insatiabili diuinis-  
fimi.

simi pusionis videndi, adorandi, omni-  
que obsequio demerendi desiderio!  
Perpetua gratitudo pro vocationis be-  
neficio, cum incenso id compensandi,  
aliosq; ad Christum trahendi desiderio.

---

In festo Circumcisionis Domini.

*De Circumcisione pueruli 8. die factâ.*

*Io.*

Luc. 2.

**I.** **B**Eata Virgo, quantumvis tenerri-  
mo infantulo circumcidendo cum  
incredibili tenerrimi amoris & acerrimi  
doloris sensu condoleret, voluit ni-  
hilominus ex zelo diuini beneplaciti  
complendi eundem, iuxta legem, tan-  
quam verum filium Abrahæ circumcidi  
ex obedientia, quem ad expiandâ Adæ  
inobedientiam in terras venisse seiebat.  
Zelus perfectè obediendi in re ardua.

**II.** Permittit se verus filius Dei impec-  
cabilis, innocēs, impollutus, segregatus  
à peccatoribus tanquam verum homi-  
nem genitalis culpæ macula inquina-  
tum, octauo die circumcidi, cum inten-  
sissimi doloris sensu, tum ob tenerrimâ  
infantis corpusculi complexionem,

**E. 6**

**rum.**

tum ob acerrimam eiusdem cum plenissimo rationis iudicio apprehensionem; idque ex insatiabili erga æternum Patrem, hominesque vniuersos gratuiti amoris affectu, ob has rationes: 1. Ut sic in primo statim vitæ vestibulo illatam æterno Patri nostra inobedientia, superbia, carnisque indulgentia contumeliam, tam arduo asperoque satisfactionis remedio expiaret. 2. Ut nobis earundem virtutum exemplum daret, studiumque spiritualis circumcisionis, seu solidæ mortificationis inculcaret, gratiam copiosam nobis ad imitationem sui impetraret. Gratitude, feruor penitentia & mortificationis.

III. Idem ex nimio pro nobis patienti desiderio, non solum tunc æterno Patri hoc quasi matutinum sacrificium sanguinis sui deuotissime pro omnibus & singulis, & præsertim Electis representauit, sed insuper ad sacrificium vespertinum in arâ Crucis immolandam, vniuersumque sanguinem suum pro nobis effundendum se paratissimum obtulit. Gratitude, amor, zelus in amore Crucis Christum imitandi.

## II.

*De compassione B. Virginis.*

I. **B.** Virgo filiolo ob dirum circumcisionis

tionis

tionis dolorem flenti, copiosisque lacrymulis peccatorum nostrorum maculas eluenti intimè comparitur, & collacrymatur: Quàm incredibili materni amoris affectu, & doloris sensu intuens simul summam eius innocentiam, & vulnerum nostrorum, pro quibus curandis ipse vulnerabatur, grauitatem? *Compassio, Compunctio.*

II. Reuerenter eius sanguinem excipit, ardentè æterno Patri offert, plagam diligenter curat, deuotè primitias pretiosi sanguinis cum præputio asseruat, atque hoc præstat eò intensiore reuerentiæ, amoris, ac deuotionis excessu, quò clarius eum verum mundi Seruatorem esse cognoscit, & reuerentius tanquam suum vnicum & æterni Patris filium diligit. *Compassio, Gratitude, amor.*

III. Totam sese deinde ad eundem dilectissimum viscerum suorum faucium fouendum, consolandum, omni que materni obsequij genere demerendum conuertit, simulque ad ardua quæque vnà cum illo vsque ad profusionem sanguinis perpetienda promptissimam offert. *Amor, resignatio.*

De triplici effusione sanguinis  
Christi.

III.

I. Filius Dei, uti ab æterno decreuit, ita in tempore voluit effundi preciosum suum sanguinem, primùm, per manus ministrorum Dei, à quibus, iuxta legem, ex sancta intentione infantulus est circumcisus; ex amore salutis, & eximia perfectionis nostræ, ut suo exemplo modum omnis generis mortificationes ab ijs, qui nobis præ sunt, offerendas, cum insigni humilitate, promptitudine, resignatione, tanquam de manu Dei, à quo est omnis potestas, acceptandi doceret: contractas hucusq; imperfectæ obedientiæ maculas tam acri remedio dilueret: gratiamque perfectæ resignationis circa omnia obiecta obedientiæ, quâ tumuis ardua, fortiter exercendæ impetraret. His expensis, præmisso affectu gratitudinis, amoris, contritionis breuiter, exercendus actus resignationis prolixius circa omnia obiecta obedientiæ.

II. Deinde, uti ab æterno voluit, ita in tempore sanguinem suum largiter profundere dignatus est per semetipsum, sanguineum sudorem spontè in horto viua instantium sibi cruciatuum apprehensione exprimendo, manusque carni-

ficum.

ficum præueniendo; ex eodem incenso salutis & perfectionis nostræ zelo, vt nobis exemplum voluntarias mortificationes internas externasq; vltro assumendi, sancteque frequentandi præberet: auxiliaque gratiæ necessaria impetraret. Feruor in spontaneis mortificationibus frequentandis.

III. Demum vniuersum suum pretiosum sanguinem, vt ab æternitate statuit, ita in tēpore voluit effundi, per manus licitorum & satanæ ministrorum, maximo cum doloris sensu simul & intensissimo erga Patrem, tortores, nosq; omnes amoris affectu, vt nobis exēplū exhiberet absolutæ paciētiae & perfectæ resignationis ad ardua, dolorosa, & probrosa quæq;, quæ animæ nostræ, & corpori, famæ, bonisque externis ab hostibus, inuidis & calumniatoribus, ab ipsis etiā dæmonibus inferri contigerit, patienter, libenter, hilariter, tanquàm de manu Dei acceptāda: vt cōtrarias impatientiæ culpas in se tam dirè castigaret: nobisq; promptā imitādi volūtatem, & facultatē obtineret. Actus resignationis circa omnia obiecta paciētiae prolixius hic subiungendus, præmisso breuiter, vt ante, affectu amoris & gratitudinis.

*De*

## IV.

## De impositione nominis Iesu.

**I.** **A** Eternus Pater, qui solus nouerat filij sui incarnandi sublimitatem, finem, officium, ab æterno præfinit, & imposuit illi nomen conuenientissimum & diuinissimum Iesus, quod complecteretur 1. omnes diuinas perfectiones illi secum communes, potentiam, sapientiam, bonitatem, sanctitatem, misericordiam, sine quibus non esset potēs ad saluandum. 2. Omnes omnium charismatum & virtutum prerogatiuas, cum de plenitudine eius omnes saluandi debeant participare. 3. Omnia officia ipsi, ceu Saluatori mundi, obeunda, vr Magistri, medici, patris, iudicis, aduocati, pastoris, protectoris. 4. Omnia beneficia, per ipsum singulis saluandis conferenda, vr sunt remissio peccatorum, curatio languorum, victoria tentationum, communicatio omnium donorum gratiæ, donum perseuerantiæ, collatio inæstimabilium bonorum gloriæ: & quidem ex immenso salutis & perfectionis nostræ desiderio, vr crebra huius diuinissimi nominis recordatione, & inuocatione ad vnicum & verum mediatorem & Saluatorem nostrum,

in

In quo est salus, vita & resurrectio nostra, adorandum, amandum, & glorificandum, imitandumque identidem accenderemur. Gratitude, amor, deuota vsurpatio nominis Iesu ad pios predictos affectus adorationis, gratitudinis, amoris, imitationis frequentandos.

II. Voluit idem æternus Pater hoc excellentissimum nomen Iesus à se ab æterno impositum, ab Archangelo Gabriele B. Virgini & Iosepho prænuntiatum, filio suo in circumcissione ab immaculatissima Virgine Matre inditum mundo promulgari, 1. Ut eximiam humilitatem eius, qui non solum in simili-

*Phil. 2.*  
rudinem hominum factus, & habitu inuentus, ut homo, sed etiam in simili-

*Rom. 8.*  
rudinem peccati fieri, & peccator circumcissione indigens apparere hominibus dignatus est, eximia huius sublimissimi nominis gloria remuneraret. 2. Ut eum redemptionis nostræ opus modo difficillimo, & perfectissimo per acerbissimam passionem, sanguinis effusionem, mortemque ipsam, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, consummaturum præmonstraret. 3. Ut nos ad eius imitationem in amore mortificationis & crucis prouocaret. 4. Ut Deiparam Virginem, cuius ore nomen Saluatoris voluit mundo intimari, media-

media-

mediatricem nobis ad filium assignaret. Zelus imitandi in Christo humilitatem, Crucis amorem, mortificationis studium.

*Phil. 2.*

III. Voluit demum idem æternus Pater hoc sacrosanctum nomen filij sui incarnati super omne nomen sic glorificari, & honorari, vt in illo *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum*, ad illum, velut primogenitum omnis creaturæ, qui se exinaniuerat & humiliauerat infra omnia, exaltandum super omnia, vtpote ex quo, per quem, & in quo sunt omnia; simulq; nos instrueret, electum quemque eò sublimius fore exaltandum in cœlis, quò profundius se humiliarit in terris. Gaudium de gloria Christi, cum desiderio eius humilitatem imitandi.

V. *De illo Cant. 1. Oleum effusum nomen tuum,*

*Ser. 15 in Cant.*

**M**ERITò nomen Iesu comparatur oleo effuso, de cœlo in Iudæam, indeq; in totum mundum diffuso, iuxta D. Bern. ob insignes eius spirituales effectus, corporalibus olei effectibus correspondentes: nam sicut oleum lucet, pascit, vngit; fouet ignem, nutrit carnem,

lenit

lenit dolorem; lux, cibus, medicina: sic nomen IESVS lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & vngit inuocatum.

I. Igitur expende, quàm miram vim habeat hoc sanctum nomen intellectū illuminandi, cū suprā omnia nomina Verbi incarnati, quæ in Sacris scripturis illi indita, aut pietatis gratiam sonant, aut potentiam maiestatis, hoc vnicum in se omnia eius diuina attributa, charismata, officia, beneficia completatur: quæ omnia quàm sublimes intellectui subministrant veritates profundius rimandas, quibus mirabiliter illuminetur, & suauiter pascatur? Quàm sancta ergò & salutaris huius sancti nominis recordatio, ruminatio, inuocatio, qua piè recolimus, reuerenter suspicimus, & deuotè veneramur sublimissimas Saluatoris nostri perfectiones, prærogatiuas, virtutes, beneficia, miserationes? His expensis congratulare Christo de tanta nominis excellentia, & piè illud crebrius ruminare, & inuocare statue iuxta illud D. Bernardi *Ibidem.* monitum: *Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Iesum sensus dirigantur & actus.*

II. Considera quantam vim habeat, idem.

idem.

idem nomen mouendi voluntatem ad  
 pios omnis generis affectus, quibus ve-  
 hementer accendatur, suauiter pascatur,  
 efficaciter impellatur ad suscipiendam,  
 reuerendam, & glorificandam diuina-  
 rum eius perfectionum infinitam, &  
 tot prerogatiuarum & gratiarum subli-  
 mitatem; ad imitandas eius heroicis  
 virtutes; ad gratias pro tot in nos colla-  
 tis beneficijs agendas; ad cauenda om-  
 nia, quæ illi displicent, & amplectenda,  
 quæ placent amore eius, qui quantus  
 est, totus est amabilis, totus desiderabi-  
 lis, cuius vel solum nomen dulce est  
 super mel & fauum. Desiderium hic ex-  
 citandum hos affectus crebra huius dul-  
 cissimi nominis memoria piè frequen-  
 tandi.

III. Considera quantam idem nomen  
 piè inuocatum vim habeat ad propul-  
 sandas omnis generis tentationes: ad  
 difficultates omnes in triplici via per-  
 fectionis obuiare solitas generosè su-  
 perandas; ad indefessum in spiritu profi-  
 ciendi studium continuandum: cum &  
 mirè intellectum illuminet ad clarè co-  
 gnoscendum in omnibus diuinum be-  
 neplacitum, & valdè affectum impellat,  
 ad idem promptè amplectendum, & si-  
 mul gratiam impetiat ad constanter  
 exse-

exsequendum. Desiderium exstimulandi se memoria huius nominis ad continuum conatum proficiendi in triplici via perfectionis hic subiungendum.

In Epiphania Domini & per octauam.

Hebd.  
infra  
oct.  
Epiph.

*De vocatione Magorum per stellam.*

I.

I. **A** Eternus Pater tam stupendam filij sui in vili stabulo delitescens humilitatem, sicut nuper clarificauit per apparitionem & concentum Angelorum in terra: sic nunc clarificat per noui sideris exortum in cælo: & sicut nuper ardentissimam eius erga homines veluti fratres suos charitatem manifestauit Iudæis per vocationem Pastorum, ita nunc manifestat Gentibus per vocationem Magorum: idque ex incomprehensibili erga filium, omnesque homines, ipsi arctissima affinitate coniunctos, dilectionis excessu: vt ostendat, quantum per se desideret 1. Ipsum ceu verum & vnicum mundi Salvatorem ab omnibus, non Iudæis tantum, sed & gentibus agnosci, amari, glorificari. 2.

Omnes

Omnes per ipsum saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 3. Omnes eius humilitatem, & charitatem, aliasque virtutes imitari.

Quam æquum esset, vt hoc diuinissimum æterni Patris desiderium, & sanctissimum votum filij, iam tunc è præsepio clamantis: *Pater clarifica filium tuum, vt filius clarificet te*, implere omni contentione satageremus? Amor, zelus Christum glorificandi & imitandi.

II. Vocat Pater regnans in cælo, vocat & Verbum infans, iacens in præsepio, ex tot myriadibus hominum hos tres Magos ab Oriente, nouam insolitæ magnitudinis & fulgoris stellam eorum obtutibus obijciendo, simul mentes illuminando, vt illam ipsam esse agnoscerent, de qua Balaam vaticinatus fuerat: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & voluntates impellendo, vt Regem regum, stella ista designatum, in Iudæa recens natum, sibi, præ omnibus inquirendum, adorandum, mysticisque muneribus honorandum decernerent: iuxta illud D. Leonis: Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum: & quod fecit intelligi, fecit inquireri, & se inueniendum obtulit requisitus.*

O quanta illa gratia his tribus Magis syde-

*Ioa. 17.*

*Num. 24.*

*Ser. 1. de  
Epiph.*

syderum motuumque cœlestium contemplationi deditis, tam mira & congruēti ratione è gentilitijs tenebris ad cognitionem veritatis traductis præstita, ex gratuita Dei misericordia, præ tam multis alijs, qui eandem stellam viderunt, & quem portenderet, ex prophetia Balaam coniecerunt, nec tamen efficaciter ad illum quærendum permoti fuerunt? O quantò maior gratia ex eadem gratuita Dei misericordia præstatur illis, qui ad statum perfectionis diuinitus vocantur cum fideli Abraham, cui dictum: *Egredere de terra tua*, simulq; *Gen. 20:* sic illuminatur, & peculiari Sancti Spiritus instinctu impelluntur, vt omninò sibi, & quidem quàm primùm, diuinæ vocationi parendum statuunt, præ tam multis alijs, qui amore proprio excæcati, & mundi carnisq; lenocinijs irretiti, vocantem Deum se audire dissimulant, vel sequi se posse diffidunt, vel contumaciter sequi renuunt, de quibus Christus: *Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matt. 20.* Amor vocationis, gratitudo, & zelus cooperandi gratiæ oblatae.

III. Magi sic intus illuminati, sic accessi, magna alacritate, relictis regnis, diuitijs, delitijsq; patrijs, ignotum & difficile iter ingrediuntur, & mòx stellam,  
velut

velut viæ ducem præeuntem, conspiciantur, cuius ductum sequuntur, non declinando ad dextram vel sinistram, cum illa quiescente quiescendo, & cum eadem progrediente progrediendo, quanto intimorum præcordiorum tripudio? certè non minore quàm olim Hebræi per desertum in terram promissionis tendentes, cum viderent antecedentem viamque demonstrantem columnam nubis per diem, & ignis per noctem.

O quàm suaviter & efficaciter per vias rectas ad culmen eximie perfectionis à diuina sapientia & bonitate ducitur, quisquis diuinæ eius inspirationi ad perfectiora semper vrgenti non seigniter cooperari nititur! Affectus ijdem renouandi.

II. *De ingressu Magorum in urbem regiam, disparente stella, Matt. 2.*

I. **C**UM Magi iam longum iter stella præuia emensi Hierosolymæ urbi regie appropinquarent, lætitiæque gestirent, ob spem breui conspiciendi recens natam regem, quem istic se reperiuros certò sperabant: ecce mox eorum obtutibus subducitur stella, cuius aspectu

Et u hucusque mirifice fuerant recreati: quo inopinato casu tristantur quidem, & nonnihil turbantur, non tamen ideo animos deiiciunt, nec à cœpto desistunt, sed urbem regiam ingredi, & quem stellæ indicio didicerunt esse natum, ab hominibus porro percontari, ubi natus sit, constituunt.

Quàm mirabilis, & suavis prouidentia Dei, electos suos nunc consolantis, nunc probantis! sicut enim Magis subduxit ad tempus conspectum tam gratiosi syderis ad eorum fidem confirmandam, constantiam probandam, magnanimitatem intendendam, meritumque augendum: sic non rarò seruis suis subtrahit gratiam diuinæ consolationis, & tenerioris deuotionis, ob eosdem & similes fines. Quàm constanter ergò perseuerandum seruo Dei in continuo proficiendi conatu, non minus tempore desolationis, quàm consolationis? Constantia in studio perfectionis, resignatio ad ariditates & desolationes de manu Dei acceptandas.

II. Ingressi urbem Magi audacter interrogant: *Vbi est, qui natus est Rex Iudeorum? vidimus enim stellam eius in oriente, & uenimus adorare eum.* Quàm eximia fuit eorum fides, quam inuicta magnanimitas,

F ras,

tas, quàm ardens constansque desiderium videndi & adorandi natum Regem, cum de eo nato non dubitent, sed, vbi natus sit, inquirant: nec vereantur alium Regem Iudæorum istuc querere vbi ambitiosum Herodem, non ferentem regni consortem, cernuat imperare? nec à querendo desistunt, licet cum Herode totam aulam, & urbem regiam turbari animaduertant?

Ose. II.

O quam admirabilis virtus Verbi infantis in præsepio iacentis, iam tunc trahentis omnia ad seipsum, trahentis, inquam, in funiculis Adam, in vinculis charitatis! quàm efficaciter, quàm suauiter attraxit ad sui cognitionem amoremque hosce tres viros siderum spectandorum arte pollentes, sed longè à via veritatis aberrantes; & mille alios etiamnum trahit prius *sicut oues errantes, sedentes in tenebris & umbra mortis, computrescentes velut iumenta in stercore suo*, ad clariorem sui cognitionem, feruentiorem amorem, generosiorum imitationem, intimam familiaritatem?

Quisquis sic traheris, agnosce humili gratoque animo manum affectumque traheris, nec sequi desine, donec assequi mereare. Gratitude, constans amor vocationis, & feruor gratiæ excitanti cooperandi.

III. He

III. Herodes, audito tam insolito Messiae Iudæis promissi iam nati indicio, turbatus, & de regno suo amittendo sollicitus, dissimulato suo infando consilio, ex principibus Sacerdotum, & scribis populi conuocatis inquit, discit-que locum, ubi promissus Messias nasceretur, atque hac ratione simul Magis humano indicio innotescit, ubi, quem loquente cælo natum didicerant, quaerendus sit.

Quàm mirum diuinæ prouidentiae & pietatis in hoc elucet consilium? quo factum est, ut Herodes, licet impius, diuinæ dispositioni cooperaretur, & per malos ministros & sacerdotes (de quibus Malachias ait: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius:*) veritas pijs demonstraretur, & sensus scripturarum aperiretur. O quàm verè *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum!* Quàm inscrutabile quoque hic suspiciendum iudicium Dei, gentiles è longinquo adducentis, & mirae luce gratiæ suæ illuminantis; Iudæos sibi tam propinquos deserentis, & ex-cæcari permittentis! O quàm verè *iudicia Dei abyssus multa!* Quàm verè dixit Veritas: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum!* O quàm

Malac. 1.

Rom. 8.

Ioa. 6.

quàm detestanda ambitio, superbia, ingratitude, amor temporalium, quæ excæcarunt mentes Herodis & Iudæorum, vt ne pedem quidem mouerent ad quærendum illum thesaurum absconditum, quem alijs ostenderunt! quàm amplectenda humilitas, obedientia, constans feruor quærendi Deum neglecta cura temporalium, quæ Magorum animos sic illuminarunt, sic inflammauerunt, vt demonstratum thesaurum sollicitè quærent, & feliciter inuenirent! Admiratio diuinæ prouidentia, gratitudo, constans feruor Christum quærendi, amandi, imitandi.

### III. De inuentione & adoratione nati Regis

I. **A** Ccepto de loco nati Regis indicio, Magi statim relicto aulae strepitu rectà Bethlehem versus alacriter contendunt, & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usq; dum venisset staret supra, ubi erat puer. Et videntes stellam gauisi sunt gaudio magno valdè. Quare lætitijs ad primum conspectum stellæ, quæ disparuerat, incesserint? Quare exultabundi tam miram circa se diuinam prouidentiam obstupuerint & laudauerint? quanto gaudio reliquum itin-

ris confecerint? quanto desiderio ad  
conspicuum tantis prodigijs præmon-  
strati Regis anhelarint?

O quam liberalis Deus erga suos ele-  
ctos constanti inuicto que animo deso-  
lationum, tentationum, aduersitatum,  
que procellas amore sui generosè supe-  
rantes? Gratitude, gaudium in tribula-  
tione, Resignatio ad ardua.

II. Cum Bethlehem attigissent, stupent  
cernentes prodigiosam stellam stare  
super vilem casam; non super regium  
palatium, sed iumentorum stabulum: at  
continuo diuinæ lucis radio illustrati  
cognoscunt, regis huius regnum non  
esse humanum, sed diuinum, non terre-  
num, sed cœleste, non transitorium, sed  
æternum.

Ingressi porrò casam, inuenerunt  
puerum cum Maria matre eius, cuius  
vultum cum diuino quodam fulgore  
radiantem cernerent, repente sic illu-  
minati sunt, vt infantulum, quantumuis  
vilibus inuolutum pannis, & pauper-  
cule Matris filium oculis corporeis aspi-  
cerent, nihilominus oculis mentis eun-  
dem esse verum Deum, Regem, & Sal-  
uatorem agnoscerent. Quanto cum so-  
lacio quanto gratitudinis affectu admi-  
rati fuerint, se tam abundè votorum  
suorum

suorum factos esse compotes? O quantum infinita liberalitate sua Deus excedit vota seruatorum suorum liberali animo se illius obsequio impendentium? Gratitude, amor, zelus perfectè constanterque Deo seruiendi.

III. Continud absque vlla mora, quem agnoscunt, proni demississimè adorant, mysticisque muneribus deuotissimè honorant, auro, thure, myrrha: auro, eum verum regem, thure verum Deum, myrrhaverum hominem esse protestan-

*Psal. 71.*

*tes, iuxta illud: Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Arabum & Saba dona adducent. quanta humilitatis, deuotionis, gratitudinis, amoris affectu hoc obsequium diuino infantulo praestiterint? quam largas laerymas tenerimi amoris & liquidissimi interni gaudij indices profuderint? quam heroica desideria gloriae eius longè lateque disseminandæ conceperint, medullitusque optarint, eum ab omnibus agnosci, coli, adorari! quam perfectè ex parte sua impleverint, implerique in toto mundo ab omnibus desiderarint illud: Et adorabunt eum omnes Reges terra, omnes gentes seruient ei?*

*Ibidem.*

Quàm grata fuerit Christo illa Magorum deuotio, illa gratitudo, ille zelus,

lus, illa nō tantū auri, thuris, & myrrhæ, sed & sui ipsorum liberalissima oblatio: quàm larga cœlestium charismatum, diuinarum illustrationum, & ineffabilium consolationum copia, hanc eorum liberalitatem remunerarit? Aurum sapientiæ, qua incarnati Verbi mysterium perciperent, thus deuotionis, qua constanter in cœpto persisterent, myrrham incorruptionis à peccatis, ne in illa reciderent, vicissim ijs impertiendo? Zelus in his pios reges æmulandi.

*De reditu Magorum.*

IV.

I. **M**Ystica peracta oblatione, mirificè gratiofo diuinissimi infantuli conspectu illuminati, & exhilarati, vix sanctissimis illius manibus pedibusque, flexis poplitibus, decurrente vbere per genas lacryma, summa cum reuerentia suauandis satiari posse videbantur; tandemque in pedes erecti, vix præ internæ dulcedinis affluentia sese capientes, circumspiciebant casam, præsepe, pannos, ipsamque maximè matrem diuinum quid spirantem: omnia attoniti suspiciebant & venerabantur. Quanta submissione Beatę Matri de tanto filio gratulati fuerint, eidemque pro-

prodigiosam stellæ apparitionem cum gestis in via, Hierosolymis que retulerint, & vicissim quanto stupore & gaudio diuinam Matrem mira quædam & arcana de filij Dei prerogatiuis mysteria reuelantem, eosque in fide confirmantem audierint? quanta demum deuotione ac reuerentia eidem se ac benedicto filio commendarint, & valedixerint corporibus quidem inde recedentes, at non animis?

O quanta multitudo dulcedinis Domini, quam feruentibus seruis suis communicare solet in exercitijs deuotionis, si seridè, purè, constanter, perfecteque ea obire satagant? Amor, feruor in exercitijs deuotionis.

II. Cum pernoctassent ibi, admoniti sunt in somnis, ne redirēt ad Herodem, qui id petierat, ne & infans, & ipsi in vitæ discrimen adducerentur: quod illi grato animo cognoscentes, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Quam luculentum illud paternæ Dei prouidentia erga suos electos argumentum! Quid in mundo metuat, quisque omnem sollicitudinem suam projicit in eum, cui est cura de nobis? nusquam securius, quam in sinu tam amabilis Patris conquiescit. Quam exultandi

tabundi hi tres beati reges tam peculiarem Dei erga se providentiam suspexerint? quas laudes, quas gratias retulerint? quam sancta desideria, tantam eius erga se liberalitatem compensandi, eximio zeli omnimodæ perfectionis acquirendæ, & divinæ eius gloriæ promouendæ, conceperint?

III. Beatus Ioseph rediens (quem credibile est, tum, ita Deo disponente, abfuisse, ut suavius Magis innotesceret diuinum illum admirabilemque puerulum, quæ homo erat, non habere patrem in terris) quantis incesserit lætitijs? quo deuotionis affectu diuinam bonitatem collaudarit? diuinos infantulo delatos honores, & Magis adoratoribus cælestes fauores congratulatus sit? quanto feruore animam, corpus, omnia eorum exemplo eiusdem diuinitus obsequio de nouo supplex obtulerit? Quanto hæc omnia eminentius præstiterit B. Mater, tantò illis fide illuminatior, tantò charitate flagrantior? Congratulatio de gloria

Christi, gratitudo,  
oblatio sui.

V. *De quadruplici stellâ seu lumine, quo electus quisque deducitur per vias rectas ad regnum Dei.*

I. Sicut Deus per stellam tres Magos præ omnibus alijs singulari gratia præueniente illuminauit, excitauitque ad agnoscendum & quærendum recens natum regem, & mundi Saluatorem: sic quemuis electû illuminat, excitatq; simili peculiari gratia præueniente ad agnoscendû, amadum, quærendumq; se verû Deum, & quẽ misit, filium suum Iesum Christum per quadruplex lumẽ, nempe rectæ rationis, fidei supernaturalis, peculiaris inspirationis, & Superiorum directionis, & quidem ex gratuita misericordia ad insignem sanctitatis, gratiæ & gloriæ gradum acquirendum.

Quanta illa gratia, sic præ tot alijs illuminari, sic excitari, sic trahi! quantam illa in vicem gratitudinem, quantam cooperandi sollicitudinem exigit?

II. Sicut illos Deus tam suauiter, & efficaciter per prospera & aduersa, per consolationes & desolationes deduxit in Bethlehem, vbi illis facta potestas operum regem videndi, adorandi, muneribus honorandi: sic quemuis electû peculiari comitante gratia deducit in Ecclesiam,

clesiam, atque ad certum aliquem statū,  
in quo possit Deo perfectè, iuxta gra-  
tiam suæ vocationis seruire, suæque si-  
mul & proximorum saluti promouendę  
impensè vacare. Dispice quàm peculia-  
riter te Deus, præ tot alijs in densissimis  
infidelitatis, hereseos & mundanę vani-  
tatis tenebris derelictis, oculis miseri-  
cordiæ suæ respexerit, hucusque sic de-  
duxerit, nunc consolando, nunc dese-  
rendo, nunc arguendo, nunc confirmā-  
do, nunc ad perfectiora exstimulando.  
Agnosce, gratias age, feruore spiritūs  
compensa.

III. Sicut eosdem mirè ab Herodis in-  
fidijs protexit, per aliam viam reduxit,  
in fide & gratia confirmauit, dono per-  
seuerantiæ beavit, tandemque braui o-  
gloriæ coronauit, ex eadem gratuita  
misericordia, & bonitate sua: sic quem-  
uis electum simili paterna prouidentia  
sua protegit, dirigit, conseruat, coronat.  
Hæc vbi tibi applicaris, admirare tan-  
tam eius bonitatem, spera paternam  
eius vsque in finem assistentiam,  
redamare, & compensare  
statue tantam libera-  
litate.

VI. De spiritali oblatione auri charitatis,  
thuris deuotionis, myrrha  
mortificationis.

I. **E**Xpende, quàm peculiaris gratia  
Dei censenda sit, per internam  
illustrationem mentis, impulsūque  
voluntatis moueri ad feruens, efficax,  
constansque desiderium diuinæ Maie-  
stati piè perfecteque offerendi aurum  
charitatis, thus deuotionis, myrrham  
mortificationis, seu ad feruentem soli-  
dumque zelum proficiendi in charita-  
te, deuotione, mortificatione.

Quanta gratitudo pro tanta gratia  
meritò foret rependenda? quoties simi-  
lem gratiam excitantem intus sentis &  
negligis? quàm parum illam agnoscis?  
quàm frigide gratias agis? Gratitudo,  
compunctio, zelus cooperandi gratiæ.  
II. Quanto maior sit reputanda gra-  
tia simili modo efficaciter propelli ad  
continuum in exercendis internis ex-  
ternisque charitatis, deuotionis, &  
mortificationis actibus profectum vr-  
gendum, simulque abundantis gratiæ  
auxilijs muniti ad perseuerandum in ijs  
etiam tempore desolationis, & aduersi-  
tatis constanter frequentandis, omni-  
bus

bus difficultatibus occurrentibus per-  
vincendis cum ingenti meritorum in-  
cremento?

Quàm rara & singularis illa gratia?  
quàm paucis ex quam gratuita Dei li-  
beralitate concedi solita? quàm rara  
proinde animi demissione, quàm deuo-  
ta gratiarum actione, quàm strenua  
cooperatione foret acceptanda & com-  
pensanda? Gratitude, feruor proficien-  
di.

III. Quantò demum sublimior gra-  
tia æstimanda sit ex eadem gratuita Dei  
liberalitate sic perenni superabundantis  
gratiæ influxu inundari, vt cum alacri-  
tate & gaudio in assiduo exercitio cha-  
ritatis, deuotionis & mortificationis  
constans vsque ad mortem quis perse-  
ueret, & desideratum æternæ retribu-  
tionis brauium obtineat? Quisquis  
hanc gratiam à diuina bonitate speras,  
strenuè tibi humiliterq; cooperandum  
esse scias. Gratitude, spes doni perseue-  
rantia, feruor cooperandi constanter  
gratiæ.

*De alia spirituali oblatione votorum reli-  
gionis per aurum, thus & myr-  
rham designatorum.* VII.

I. **E**Xpende, quàm extraordinaria  
F 7 gratia

gratia sit à Deo suaviter & efficaciter moueri ad concipiendum efficax desiderium offerendi se eius diuinæ maiestati, quoad corpus, animam, & omnia mundi bona, quæ habet aut habere potest per trina vota paupertatis, castitatis, obedientiæ, aut voluntariam abdicatorem opum, voluptatū, honorū, quæ per aurum, myrrham, thus designantur, per aurū quidem paupertas, qua omnia temporalia abdicantur, per myrrham castitas, qua caro à corruptione præseruatur, per thus obedientia, qua totus homo in odorem suauitatis Deo immolatur.

Quàm paucis hæc gratia præ tot in procelloso mundi pelago pereuntibus diuinitus concessa, ex gratuita misericordia ad fines tam sublimes in hac vita & in futura? Gratitude, zelus respondendi gratiæ vocationis.

II. Quàm peculiarior gratia continuis diuinæ assistentiæ præsijs in sancto proposito confirmari, exstimulari ad exactam dictorum votorum obseruationem, impelliq; ad minimos contra eos defectus sollicitè cauēdos, commissosq; expiandos, ad frequentanda heroica supra vires desideria, mille mundos, mille corpora, mille voluntates, si haberet, Deo

Deo perfectè consecrandi, idque purè propter Deum, constanter inter prospera & aduersa?

Quoties similes in te sentis stimulos & impulsus: Vtinam ea, qua par est, alacritate parere satagas? Gratitude, compunctio, zelus exactæ obseruationis votorum.

III. Quantò demùm incomparabili or gratia in assiduo illo studio fideliter vota oblata reddendi, conatuque indefesso perfectissimè se totum diuinæ gloriæ impendendi perseuerare, vsque dum euocetur ad capiendum promissum à Christo gloriæ brauium? Quod, vt tandem assequaris, ecquod detrectes certamen laboris? Nisi legitimè certaueris, non coronaberis. Constans feruor in exacta votorum obseruatione & cura minimorum.

*De alia simili oblatione feruoris proficendi in triplici viâ perfectionis, quam myrrha, thus, aurum representat.* VII.

I. **E**Xpende simili prorsus modo, quantum sit Dei donū cum tribus Magis sic intrus illuminari, sic accendi ad feruens constansq; desiderium propositumque conandi in dies maioribus

passer-

passibus progredi in triplici via perfectionis, seu in studio maioris animæ puritatis, virtutum soliditatis, voluntatis nostræ cum diuina conformitatis æquirendæ.

II. Quanto rarius donum præsidio peculiaris gratiæ velle ac posse constanter hoc sanctum propositum conatumque vrgerè, quantumuis varijs validisque ingruentibus tentationum, desolationum, difficultatum, aduersitatum procellis!

III. Quanto demum inæstimabilius donum in tali indefesso continuoque proficiendi desiderio nunquam deficere, sed conari proficere, vsque dum vita deficiat? Hæc singula, vt supra, pondera, tibi applica, & affectus gratitudinis, compunctionis, zeli constanter proficiendi excita.

*Pro Dominica infra Octauam, meditationem de Christo auodenni: vide infra Hebdom. 4. post Epiph. med. 3.*

## Dominica I I. post Epiphaniam.

*De nuptijs in Canâ Galilea.*

Ioan. 2.

2. Hebdom.  
post E.  
piphan.  
I.

I. **I**nuitatus Christus cum discipulis venit ad nuptias. Quanta dignatio Domini maiestatis, regis Angelorum, Sponsi Virginum, non dedignantis cohonestare tenuiorum homuncionum nuptiale conuiuium, ob has causas. 1. Ut matrimonium à Deo institutum, mysticeque eo, veluti symbolo, suam cum Ecclesia coniunctionem designari ostenderet. 2. Ut eorum inopiæ subueniret. 3. Ut fidem discipulorum, aliorumque presentium confirmaret, nobisque omnibus humilitatem & charitatem, quauis oblata occasione exercendam commendaret: idque quanto zelo gloriæ Patris, & salutis animarum promouendæ?

Quantò maior eiusdem dignatio se ultro toties ad conuiuium cum anima nostra celebrandum inuitantis, proponendo nobis vinum compunctionis cum pane lacrymarum: vinum cor lætificans, cum melle cœlestium desideriorum;

rum: vinum amoris cum manna diuinarum cōsolationum: seu exstimulando nos ad assiduum profectum in triplici via perfectionis, vberemque gratiam offerendo! Gratitude, amor, zelus imitandi Christum in humilitate & charitate, & proficiendi in spiritu.

II. B. Virgo vinum deficere monuit, & dixit ministris: *Quodcumque vobis dixerit, facite.* Quanta illa pijsimæ Matris charitas! si tam sollicita fuit pro corporali inopia horum coniugum, à quibus non rogabatur: quāto sollicitior erit pro spiritali suorum filiorum, à quibus sincere invocatur, necessitate subleuanda, quæ quò ceteris Sanctis est melior, iuxta D. August. *ed est de nostris commodis sollicitior.* Quanta eius fiducia, quæ duriore in speciem accepto responso, nihil turbata, quasi impetrasset, quod verbo insinuarat, ministros, quorum opera filium vsurum in hoc patrandō miraculo præuidit, dictis eius parere iussit! Quanta intercessionis eius efficacia, & impetrandi gratia, qua interueniente, vti accelerata est Incarnatio Verbi, sic nunc acceleratum tempus miracula inchoandi! Deuotio erga B. V. & imitatio charitatis, fiduciæ, patientiæ eiusdem.

III. Iussit Christus impleri hydrias aqua,

Serm. 4.  
de nat.

qua, quam in vinū optimum conuertit. quanta non solum potentia, sed & quāta benignitas, quāta liberalitas Saluatoris sex hydrias vini optimi miraculosè producti in his nuptijs carnalibus, pro accepto haustulo reddentis, & conuiuis omnibus liberaliter offerentis, at quantò maior eiusdem potentia, benignitas, liberalitas in nuptijs spiritualibus animæ in cellam vinariam introductæ propinantis totidem hydrias præcipuarum virtutū, charitatis in Deum, misericordiæ in proximos, zeli gloriæ Dei & salutis animarū, deuotionis, gratitudinis, obedientiæ seu perfectæ resignationis!

O quoties sponsus cœlestis stans ad ostium cordis tui & pulsans, tibi has easdem propinare desiderat! quin ergo confestim eum intromittis, conuiuium-que sanctorū desideriorum proficiendi in prædictis virtutibus illi instruis? Amor Christi, zelus in his virtutibus proficiendi.

*Quomodo Christus infans exercuerit affectus internos Humilitatis.*

II.

I. **E**Xpende, quomodo Verbum infans in præsepio vagiens, in matris gremio lactens, iam tunc inculcans nobis exemplo, quod docturus erat verbo:

*Matt. 11. verbo: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: exercere perrexit, sicut in primo instati cōceptionis ceperat, profundissimæ humilitatis actus internos, videlicet 1. quoad conditionem humanæ naturæ præcisè spectatæ vilem se agnoscendo & reputando. 2. talem se ab omnibus haberi volendo & optando. 3. vilissimum se secundum id, quod ex humana natura haberet, reputando, & talem se reputari gaudendo: omnia dona naturæ, gratiæ & gloriæ humanitati suæ collata diuinæ liberalitati in solidum ascribendo, atque ita infra omnes se humiliando: idque quàm perfectè secundum omnem dimensionem, scilicet quàm latè quoad extensionem ad omnia eius obiecta; quàm sublimiter, quoad intentionis puritatem, & actuum intensiōem: quàm longè quoad desiderium eos continuandi æternum: quàm incomprehensibiliter seu insatiabiliter, quoad heroica supra vires desideria: Et quidem absque dubio tantò perfectius, quantò clarius prævidebat 1. Humanæ naturæ secundum se solam spectatæ abyssalem vilitatem, & nihilitatem quoad esse, posse, operari in naturalibus, & supernaturalibus. 2. Summam eius fragilitatem, & ad omne malum propi-*

pronitatem, ita vt verè secundum D. Solil. 15. August. non sit peccatum, quod fecit homo, quod non faceret alter homo, nisi præseruaretur ad eo, à quo factus est homo. 3. Omnimodam eius à Creatore & conseruatore Deo dependentiam à quo habet, quicquid habet boni, & per quem non habet, quicquid non habet mali. In quem denique finem? nempe, vt hic gloriam æterno Patri ab hominibus ablatam restitueret, superbiam nostram expiaret, ad sui imitationem prouocaret, gratiamque ad id necessariam impetraret. His expensis, gratulare Christo, & gratias age pro tot tamque heroicis actibus humilitatis amore tui elicitis, eisdemque eius exemplo elice in præsentem per plura, vel pauciora suspiriorum genera, iuxta Industrias meditandi c. 7. §. 1. 3.

II. Quomodo indoluerit eosdem internos humilitatis actus tam parùm, tam rarò, tam imperfectè ab hominibus vsurpari; è contra tot tamque grauibus peccatis superbix diuinam Maiestatem offendi: dubio procul tanto intentius, quanto euidentius perspiciebat infinitam diuinæ Maiestatis excellentiam, cui summa submissio deberetur: extremam hominum vilitatem, ignorantiam, fragi-

fragilitatem, malitiam, quæ omnem confusionem contumelia inque promeretur. His consideratis, subiunge actum similem compunctionis, seu elice actum humilitatis, quoad tempus præteritum. Vide ibid.

III. Quàm ardentem proposuerit eisdem actus internos tota reliqua vita continuare: actus externos suo tempore simul cum internis coniunctos frequentare in objectis maximè arduis, idque purissimè, intensissimè, constantissimè, insatiabilissimè: simulque omnibus affectu, verbo, & facto ipso intimè huius humilitatis imitationem inculcare? His similiter expensis elice eisdem actus humilitatis in futurum, cum propositis practicis hos vel illos actus humilitatis internos & externos, hac vel illa oblata occasione perfectè exercendi. Vide ibid.

Idem modus discurrendi & affectus prolixius excitandi seruandus est in sequentibus.

III. *Quomodo B. V. eosdem humilitatis actus eodem tempore frequentârunt.*

I. **E**Xpende, quàm perfectè B. Mater & Virgo, intuens filiolum suum in præse-

præsepio iacentem, sua vbera fugentem, quem credebatur verum esse Deum, in cælo regnantem, in mundo homines & iumenta pascentem, frequentârunt eisdem intimæ humilitatis affectus, quos à primo momento vltus rationis cœperat, & hucusque continuarat: tanto nunc dubio procul perfectius, 1. quantò in dies clarius fundamenta veræ humilitatis suprâ insinuata peruidebat. 2. quantò intensiorem habitum humilitatis, quem in excellenti gradu infusum acceperat, continuo exercitio iam auctum habebat. 3. quò longius ab omni superbix fomite, omni que alio humilitatis impedimento aberat. 4. quò plura, & maiora extraordinaria charismata & priuilegia sibi gratis collata agnoscebat. 5. quò sagacius hæc omnia a suo puro puto nihilo, quod ex se haberet, secernebat, soli que Deo tribuebat.

Quis perfectionem actuum humilitatis eius secundum dimensiones supra dictas intellectu apprehendat, quis affectu exprimat? Ipsi Cherubini & Seraphini eandem mirantur: & tu eandem suspice, & à longè saltem imitare, eliciendo eisdem humilitatis actus in præfenti.

II. Quàm

II. Quàm intensè doluerit hos verè humilitatis actus à tam paucis agnosci: à paucioribus exerceri: à tam multis è contra tot excessibus superbix diuinæ Maiestati insultari: & quidem è intensius, quò clarius agnoscebat, quanto pe-re & quàm merito Deo placeret Humilitas, displiceret arrogantia: & quò ardentius infinitam Dei excellentiam ab omnibus demississimè agnosci <sup>suspici,</sup> glorificari cupiebat. Contritio de oscitantia in humilitate exercenda, & superbia extirpanda.

III. Quàm ardentia identidem iterarint desideria, perfectius indies eisdem affectus multiplicandi, opere ipso demonstrandi, omnes ad idem intimæ humilitatis studium verbo, exemplo, affectuque inflammandi: Et quidem in particulari in tali opere humilitatis pijsimè obeundo cum heroicis internis desiderijs, ipso corporis habitu, gestu, incessu, vultu, loquela angelicam præ se ferendo modestiam, cum intimo verè sui ipsius despicientiæ sensu. Zelus proficiendi in humilitate per crebram humiliationem sui internam, & externam: spontè assumptam, & vltro oblatam.

*Quomodo Christus infans exercueris  
actus internos gratitudinis.*

IV.

I. **E**Xpende simili modo, quàm perfectè secundum omnem dimensionem Christus in infantia sua, licet nihil foris appareret, continuavit actus internos gratitudinis erga Patrem inchoatos ipso momento Incarnationis. 1. demissè agnoscendo, magni æstimando, grata mente acceptando omnia humanitati suæ collata charismata, ceu gratuita beneficia. 2. Datorem omnium reuerenter agnoscendo, magnificando, laudando, amoris & gratitudinis brachijs complectendo. 3. Accepta beneficia omni possibili modo compensare desiderando & statuendo. Et quidem eò perfectius, quò evidentius intuebatur 1. Infinitam diuinæ bonitatis, liberalitatis & benignitatis erga se abyssum. 2. Inæstimabilem excellentiam gratiarum & prærogatiuarum sibi concessarum, insuper omnium, per se suæque merita præuisa, donorum naturæ, gratiæ, gloriæ electis omnibus collatorum & conferendorum. 3. Incomprehensibilem gratuiti amoris excessum,

G

ex

ex quo hæc omnia conferrentur, & quidem ad fines tam sublimes. Suspice sublimitatem illius affectuum gratitudinis, & similes in præsentia excita, ut supra insinuatum, per consueta suspiria iuxta formulam offerendi sacrificium Eucharisticum, quam vide in Enchirid. Indust. c. 15. §. 2.

II. Quàm intensè deplorarit extremam hominum erga diuinam liberalitatis abyssum ingratitude, dolendo tam paucos, eosque tam parcè, rarè, & imperfectè hos actus gratitudinis usurpare: idque eo intensius, quo firmiter apprehendebat tantam ingratitude omnium ingratorum hominum, quotquot sunt, fuerunt, erunt, multipliciter, & enormitatem; tantam eorum cecitatem, socordiam, stupiditatem, cum tam facilè se gratos possent, si vellet, exhibere; & horrendas ingratissimas imminentes pœnas euitare; tantam diuinæ offensæ, quæ hac ingratitude incurritur, grauitatem. His consideratis elice affectus gratitudinis, quoad præteritum, seu affectus compunctionis de tua omniumque ingratitude, cum proposito emendationis.

III. Quàm feruenter proposuerit hos affectus gratitudinis tota vita, & quidem

dem intensissimos continuare etiam in maximis desolationibus, contumelijs, & tormentis: sicque abundè compensare hominum ingratitude, omnesque prouocare ad sui in hac re imitationem: & quidem eò feruentius, quò id gratius æterno Patri, nobisque vtilius esse sciebat. Et his expensis subijce desiderium similes gratitudinis actus internos sæpius renouandi, externosque hos vel illos superaddendi, e. c. conando benè orare, & alias ordinarias functiones perfectè obire ex motiuo gratitudinis.

*Quomodo eosdem gratitudinis affectus  
tunc frequentârit Beata  
Mater.* V.

I. **E**Xpende quàm purè, intensè, constanter, insatiabiliter B. Virgo Deipara eosdem prædictos gratitudinis affectus, vt ab initio vsus rationis ceperrat, nunc Mater effecta Creatoris continuerit, cum quotidie coram cerneret, foueret, tractaret, lactaret, & portaret illum, à quo sic se dilectam, sic electam, sic euectam supra omnes submissè recolebat: Et quidem eò eminentius,

tius, quò præ omnibus clarius in hac vita cognoscebat incomprehensibilem diuinæ benignitatis & liberalitatis erga se supra omnes puras creaturas abyssum, charismatumque sibi ex gratuita bonitate collatorum & conferendorum supereminentiam: & quò intensiorem per tot actus gratitudinis ab ineunte ætate frequentatos acquisierat habitum.

O si illuminatiores mentis oculos cum hac illuminatissima aquila in abyssum diuinæ erga te benignitatis & liberalitatis, & tuæ indignitatis & ingratitude defigeres, quàm te ad perpetuos gratitudinis affectus eliciendos obligatum cerneres? Hos ergò exemplo B.V. elice vt supra.

II. Quàm purè item, intensè, constantè, insatiabiliter eadem illuminatissima Virgo & Mater cum filio deflexerit tantam hominum ingratitude: tantam in diuinis beneficijs, maxime Redemptionis, agnoscendis cecitatem: tantam in ijs, saltem grato animo, compensandis socordiam: tantam in declinandis diuinæ contra ingratos vitiois sagittis stupiditatem: idque tantò vehementius, quò hæc omnia perspicacitè apprehendebat? Dolor de ingratitude subiungendus.

III.

III. Quam denique affectuosè desiderarit, firmiterque statuerit deinceps eosdem gratitudinis actus conari elicere in dies plures & intensiores, superaddere externos cum insatiabili desiderio longè supra vires se gratum exhibendi ei, à quo se gratis tot extraordinarijs benedictionibus diuinæ dulcedinis & gratiæ præuentam nocet. Zelus illam imitandi, seu eliciendi actus gratitudinis in futurum.

*Quomodo Christus infans exercuerit  
præcipuos actus internos amoris Dei.*

V. I.

I. **E**Xpende, quàm diuinè diuinus infans præcipuos actus internos amoris Dei, quos inchoârat conceptus in Matris utero, nunc in eiusdem gremio & præsepio continet, i. Diuinam bonitatem infinitè propter se amabilem, & quicquid illa amat, amando: omne bonum eius intrinsecum, vti infinitam perfectionem, beatitudinem; & extrinsecum, vti gloriam, & obsequia à creaturis exhibita, & exhibenda, ei fauendo, de illis gaudento: extrinseca bona maiora illi optando, & procurare

G 3

desi-

desiderando. 2. Diuinam voluntatem beneplaciti in omnibus eius iudicijs, decretis, operibus & permissionibus quoad se, omnes, & omnia venerando, probando, & amplectendo. 3. Voluntatem signi in omnibus, quæ præcipit, vel se velle innuit, per se, omnesque alios impleri cupiendo.

Quos omnes actus eò sublimiore modo elicuit, quò perfectius infinitam diuinæ bonitatis amabilitatem, quæ Deus infinita sua scientia comprehendit; quæ homo, visione beatifica & scientia infusa eminentissima præuidit, simulque perspexit, quàm æquum esset, creatorem omnium creaturarum perfectiones, ob quas illæ amandæ forent, eminentissimè continerem, longè super omnia creata esse omni possibili meliori modo diligendum, præsertim ab ijs creaturis ratione præditis, quæ maioribus ab ea beneficijs essent ornate: deinde etiã, quò remotior fuit ab omnino ordinato amore sui, qui est maximus hostis amoris Dei, ob infinitam eius sanctitatem, & omnimodam impæccabilitatem: & quò diuinior habitus charitatis illius sanctissimæ animæ fuit infusus in instanti cõceptionis. Suscipe hos diuinissimos eius affectus,  
col.

eisdemque, pro modulo tuo, elice, & porro frequentare, & re ipsa demonstrare, omnemque inordinatum amorem proprium euellere statue.

II. Quàm vehementer doluerit hos prædictos amoris affectus ab hominibus tam paucis, tam raro, tam frigide usurpari: sed contra potius apparentem vilissimæ creature bonitatem plus æstimari & amari, quàm immensam, infinitam, æternam, incomprehensibilem Dei Creatoris bonitatem: iustissima eius iudicia, decreta, opera toties improbari; sanctissimas leges violari: cum & tot offensarum iniuriarumque Creatori à creaturis hac ratione illatarum enormitatem, & tantam, tot hominum amorem sui amoris Dei anteponentium cæcitatem clarissimè intueretur, & vehementissimè detestaretur. Eisdem affectus doloris de sua omniumque in Deo redamando tepiditate elicere conare.

III. Quàm ardentè desiderarit, statueritque hos amoris affectus perfectissimos reliqua vita continuare, reque ipsa declarare in obiectis, maximè arduis, in summis desolationibus & cruciatibus: sicque defectum amoris Creatori ab ingratis creaturis debiti cõpensare, omnesque ad sui æmulationem prouocare

ob causas 1. puncto allatas. Zelus imitandi Christum in his amoris affectibus frequentandis, & facto ipso declarandis per actus externos hos vel illos, e. c. ex amore ardua quæque occurrunt, resignato hilarique animo tanquam de paterna Dei manu acceptando: conando ex eodem motivo perfectè hoc vel illud munus sibi incumbens obire, hanc vel illam imperfectionem sollicitè curare, &c.

**VII.** *Quomodo eosdem actus amoris Beata Mater exercuerit.*

I. **E**Xpende, quo pacto B. Mater & Virgo fide illuminatissima, & charitate flagrantissima præfatos tres præcipuos amoris actus, sibi iam à primordio vsus rationis familiarissimos, nunc frequentarit tantò purius, intensius, constantius, insatiabilius, 1. quò sensim in singula penè momenta clarius infinitam Dei amabilitatem cognoscebat. 2. quò se eminentius supra omnes puras creaturas ab eodem amari sentiebat. 3. quò ab omni impedimento amoris Dei, fomite peccati, & amore sui remotior erat. 4. quò & corpore, & spiritu fornicari ardentissimæ charitatis filio Dei & suo

suo vicinior erat. s. quod inæstimabili-  
oribus primitus sibi infusam habitualement  
charitatem supereminentiſſimam au-  
xerat incrementis, per tot eximios a-  
ctus amoris extota latitudine habitus,  
& supra non raro, hucusque toties fre-  
quentatos. Et hos expensas suscipe, &  
à longè saltem æmulare.

II. Quàm vehementer optarit multò  
adhuc affectuosius omnibus præterita  
vitæ momentis hos actus frequentasse:  
quàm intensè doluerit à tam paucis,  
tam imperfectè Deum infinito amore  
dignissimum redamari, ob causas iam  
dictas. Compunctio de tepiditate in-  
Deo redamando.

III. Quàm firmiter proposuerit eos-  
dem actus internos crebrius affectuosi-  
usque elicere, externos addere hos, vel  
illos, & quidem omnipossibili perfe-  
ctissimæ dilectionis excessu. Zelus eam  
æmulandi.

3. Heb-  
dom.

Dominica III. Post Epiphaniam. Post E-

De leproso mundato, & Centurionis seruo  
sanato. Matt. 8. I.

I. Iesus leprosum se adorantem & di-  
G. s. cen-

contem (Domine si vis, potes me mundare)  
 extendens manum terigit dicens: *Vole  
 mundare: mundatoque præcepit: Vnde  
 nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdo-  
 ti, & offer manus, quod præcepit Moyses in  
 testimonium illis.* Quanta vis orationis  
 cum viua fide, humilitate & resignatio-  
 ne ad Deum fusæ? Si vis à lepra pecca-  
 torum, & imperfectiõnum liberari, ne  
 pigeat leprosum hunc imitari. Quanta  
 benignitas & humilitas Saluatoris, il-  
 lum, cum verbo solo posset, tactu ma-  
 nûs sanantis, miraculũ propalari vetan-  
 tis, eundem ad sacerdotem remittentis!  
 Quantò maior benignitas, humanitas,  
 & humilitas eiusdem Domini Maiesta-  
 tis toties in sacrosancta synaxi hominẽ  
 lepra tot peccatorum horridum non  
 modo contingere, sed intimẽ se eidem  
 coniungere dignantis! Deuota com-  
 munitio gratitudo, amor, zelus imitan-  
 di Christi humilitatem, & charitatem.  
 II. Centurioni cum magna fide, fidu-  
 cia, & humilitate pro seruo paralytico  
 deprecanti ait: *Ego veniã, & curabo eum.*  
 Magna fuit centurionis erga seruum  
 charitas, magna erga Christum fides,  
 magna humilitas. At quantò maior Do-  
 mini charitas, liberalitas, humilitas,  
 tam promptè annuentis: *Ego veniam &*  
 cura.

*curabo eum!* O quantum excedit humilium preces, & vota, infinita Dei bonitas & misericordia!

Quoties hoc & in te experiris, nec tamen, ut par est, gratias agis, nec ideam tantæ charitatis & humilitatis imitaris? Gratitude, amor, zelus imitandi.

III. Centurione respondente: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum,* miratus Iesus sequentibus se dixit: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno caelorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Deinde dixit centurioni: *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Quam placet Christo viua fides, profunda humilitas, feruens charitas, quam sic in centurione suspicit! quam displicet incredulitas, cordis duritia, contumacia, ingratitude, quam in Iudæis sic puniendam prædicit!

Quanta abyssus iustissimorum iudiciorum Dei, tot gentiles, hæreticos, atheos non rarò ad seriam pœnitentiam & feruentem vitæ morumque emendationem conuertentis, & tot nonnunquã in gremio Ecclesiæ educatos, aut in statu perfectioris vitæ diu versatos, ob

ingratitude, tepiditate, occultam  
superbiam è cœlo in cœnum turpissimè  
prolabi permittentis ! Horror ingra-  
titudinis & tepiditatis, feruor in spiritu  
proficiendi.

II.

*Quomodo Christus infans zelum  
gloriae Patris per actus inter-  
nos elicuerit.*

Psal. 68.

I. **E**Xpende, quomodo Christus in-  
fans iam tunc implens illud: *Zelus  
domus tua comedit me*, affectus zeli gloriae  
æterni Patris, prout à vitæ mortalis pri-  
mordio cœperat, continuârit inflam-  
matissimos, non minus nunc in præse-  
pio vagiens, quàm olim in crucis pati-  
bulo moriens, i. maiorem diuinæ Maie-  
statis agnitionem, amorem, cultum,  
obsequium, gloriamque longius latius-  
que per se aliosque propagari, arque ab  
omnibus ubique frequentatione actu-  
um fidei, spei, charitatis, religionis, ali-  
arumque præcipuarum virtutum mani-  
festari desiderando. 2. Omnem illi con-  
trariorum vitiorum excessibus irrogari  
solitam contumeliam propulsare opran-  
do. 3. Ad ardua quæque, arque adeò ad  
mortem ipsam subeundam sese pro eius-  
dem

dem diuinę Maiestatis gloria vindican-  
da ac dilatanda sponte offerendo: id que  
tantò zelosius, 1. quantò clarius eius-  
dem diuinę Maiestatis excellentiam o-  
mni honore, amore, obsequio dignissi-  
mam triplici sententia, diuina, beata,  
infusa intuebatur. 2. quantò ardentius  
eandem sic cognitam triplici amore, di-  
uino, beatifico, infuso prosequeretur. 3.  
quanto vehementius iniuriarum eidem  
illatarum, & inferendarum, quas omnes  
quasi coram intuebatur, multiplicita-  
tem & gravitatem apprehendebat, &  
detestabatur. His expensis, zeli illius af-  
fectus diuinissimos suspice, & similes,  
pro modulo tuo, exerce.

II. Quam intensè doluerit, præui-  
dens hos zeli glorię diuinę Maiestatis  
actus à tam paucis, tam rarò, tam im-  
perfectè eliciendos, etiam ab ijs ipsis,  
quos peculiariter in hunc finem tot ex-  
traordinarijs gratię præsidijs esset in-  
structurus: insuper intuens honorem  
summo omnium conditori Deo à tot  
idololatrijs, dæmoni; à tot gulę libidi-  
nisque mancipijs, ventris; à tot superbis  
& refractarijs, idolo proprii iudicij; ab  
alijs cæcis mundi amatoribus, fumo fa-  
uoris & honoris humani nefariè de-  
ferri, ac porrò delatum iri. Dolor de

oscitantia in hoc zelo exercendo.

III. Quàm zelosè desiderarit hos prædictos affectus tota vita continuare, atque opere ipso declarare, aliosque exemplo suo ad idem incitare, offerendo se ad quosuis labores, persecutiones, cruciatus, ipsamq; mortem subeundã, pro diuina gloria dilatanda, ac propugnanda, atque ad promerendam copiosam gratiam ijs, quorquor suum zelum vellent æmulari. Feruor proficiendi in zelo diuinæ gloriæ.

III.

*Quomodo B. Virgo Deipara eosdem zeli gloria Dei actus elicuerit.*

I. **E**Xpende simili ratione quàm purros, intensos, constantes, & infatigabiles præfatos huius zeli affectus frequentarit zelosissima Virgo puerpera, non tantum corporis, sed viuæ etiam fidei oculis iugiter coram intruens absolutissimum huius zeli speculum, Filiũ Dei ad gloriam æterni Patris mundo manifestandam ex se incarnatum, idq; 1. Ob clariorem infinitarum perfectionum Dei, ob quas infinito honore esset dignissimus, cognitionem. 2. Ob intensiorem habitum amoris, & zeli honoris Dei, per tot heroicis actus tota

vita

vita frequentatos, acquisitum. 3. Ob  
abundantiorum auxiliorum peculiaris  
gratiæ meritis eius debitorum afflu-  
xum. Hos perfectissimos eius zeli actus  
sic ponderatos suspice, & imitare.

II. Quanto intimi doloris sensu defle-  
verit tantam ingratorum hominum in  
Deo creatore suo agnoscendo, colendo,  
amando, glorificando, omni obsequio-  
rum genere demerendo cæcitatem &  
focordiam, cum hic ultimus eorū finis  
sit, ad quem creati, & tot nature gratiæ  
que donis sunt cumulati ! quoties &  
quāto affectuosius in se senserit id cō-  
pleri, quod de se fatetur regius Prophe-  
ta. *Vidi prauaricantes & tabescebam.* Et: *Psal. 138.*

*Tabescere me fecit zelus meus, quia obli-  
sunt verba tua inimici mei.* Et: *Exitus a-  
quarum deduxerunt oculi mei, quia non  
custodierunt legem tuam.* Compunctio de  
defectu zeli gloriæ Dei cum proposito  
emendandi.

III. Quā seriō proposuerit hos affe-  
ctus indies perfectius & crebrius reno-  
uare; opere ipso eosdem exhibere, alios  
ad idem verbo, & exemplo exstimulare,  
eundem zelum omnibus obnixè à Deo  
flagitare, idque ob easdem causas i. pun-  
cto insinuatas, Feruor in hoc zelo profi-  
ciendi.

Qua-

IV. *Quomodo Christus infans charitatem  
erga homines, & zelum salutis  
eorum, quoad actus internos,  
exercuerit.*

I. **E**Xpende quàm sublimes incomprehensibilis erga homines amoris affectus, quàm inflammata zeli perfectionis & salutis singulorum promovenda desideria, prout incarnatus elicere cœperat, nunc in medio duorum animalium in præsepi reclinatus, non minore cum perfectione, quàm olim in medio duorum latronum crucifixus creberrimè renouavit. 1. Omnes homines tanquàm imagines SS. Triados gratiæ & gloriæ capaces, adoptatos æterni Patris filios, suos fratres & cohæredes, Spiritûs sancti sacraria & sponas artificimè in visceribus charitatis completendo; omnia vera bona naturæ, gratiæ, gloriæ secundum divinæ sapientiæ beneplacitum ijs optando, fauendo, procurare volendo; singulorum maximè electorum eximiam perfectionem, perseverantiam, gloriam ardentissimè firiendo. 2. Omnia vera mala huius & futuræ vitæ ab ijs auerti optando; omnia

nia impedimenta maioris singulorum  
in sanctitate, gratia, gloria profectus  
remoueri desiderando: miserabilem tot  
animarum culpa sua pereuntium sor-  
tem intimè miserando, & lugendo. 3.  
Omnium & singulorum tam corpora-  
les, quàm spirituales infirmitates misa-  
riasque, quas veluti praesentes omnes  
intuebatur, pio commiserationis affe-  
ctu releuare & propullare; omnium  
onera & peccata in se suscipere, pro ijs  
satisfacere; omnibus gratiam necessa-  
riam promereri; pro omnibus & singu-  
lis se totum vsque ad extremam sangui-  
nis guttam impendere desiderando.

Quos omnes similesque alios affe-  
ctus tanto frequentauit ardentius, 1.  
quantò clarius videbat immensam Pa-  
tris erga homines charitatem, anima  
rationalis dignitatem, praemiorum glo-  
riæ caelestis electis paratorum excellen-  
tiam, aeternorum suppliciorum, quæ  
reprobos manent, acerbitatem. 2. quan-  
to intensius diligebat aeternum Patrè,  
quem tanto dilectionis affectu in hu-  
manum genus ferri videbat. 3. quantò  
zelosius maiorem eiusdem gloriam de-  
siderabat, quam ex maiore hominum  
perfectione & salute in eum redundatu-  
ram prauidebat. His ponderatis perfe-  
ctissimè.

etissimos illius zeli affectus suspice, pro  
ijs gratias age, similesque elice.

II. Quanto dolore affectus fuerit præ-  
uidens tam raros huius sui erga omnes  
homines amoris, & zeli salutis anima-  
rum futuros æmulatores; atque ab illis  
ipsis tam peculiari gratia Apostolicæ  
vocationis præuentis, tam imperfectè  
hos prædictos affectus eliciendos, & re-  
ipta demonstrandos: è contra tam mul-  
tos, qui tot animas verbo & exemplo,  
consilio & imperio, blanditijs & minis  
secum essent in æternæ dånationis ba-  
rathrum abrepturi: insuper præuidens  
tot implacabiles iras, diras, odia, æmu-  
lationes, detractiones, aliasq; tot tam-  
que enormes fraternæ charitatis læsio-  
nes, tot innocentium corruptiones, tot  
piorum seductiones, tot in vniuerso  
mundo scandala, quibus & diuina Ma-  
iestas grauissimè offenderetur, & tot  
millenis animarum millibus æternæ  
maledictionis fulmen pararetur. Dolor  
de tepiditate zeli animarum, læsione  
fraternæ charitatis.

III. Quam ardentè proposuerit hos  
commemoratos affectus reliqua vita  
quàm intensissimos frequentare, opere  
ipso demonstrare, omnibus eisdem  
verbo exemplo instillare, se totum sa-  
luti

luti & perfectioni omnium promouenda impendere, ac demum ita vitam omnem instituire, vt, quicquid cogitaret, diceret, ageret, pateretur, clamare videretur: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Feruet proficiendi in charitate fraterna, & zelo animarum.

*Quomodo eosdem affectus charitatis erga proximos & zeli animarum Deipara frequentarit.* V.

I. **E**Xpende simili modo, quod Mater pulcræ dilectionis eosdē charitatis erga proximos, & zeli animarum affectus sibi ab ineunte ætate familiarissimos, nunc viuum coram intuēs huius charitatis & zeli exemplar Filiū Dei, hominibus, fratribus suis adoptiuis, per omnia assimilatū absque peccato, tanto affectuosius frequentarit, 1. quantò manifestius ex tanto Incarnati verbi mysterio deprehendit infinitam SS. Trinitatis erga omnes homines dilectionem, inestimabile cuiusvis animæ rationalis pretium, incomparabilem cœlestis gloriæ sublimitatem, & gehennæ ignis atrocitatem. 2. quantò intensiorem tot heroicis actibus tota vita penè continuatis acquisierat habitum charitatis.

rita

ritatis. 3. quanto remotior erat ab omnibus vitijs oppositis & impedimentis charitatis, utpote à fomite peccati præservata, & tot peculiaribus extraordinariæ gratiæ præsidijs munita. His expensis ad seriem eius imitationem suspirata, eosdemque affectus eiusdem exemplo renoua.

II. Quot suspirijs & lacrymis interitum deplorârit tot animarum, quas ad tam sublimem finem à SS. Trinitate conditas tantum æstimari, tantopere amari, tam arduo modo reparari clarissimè intelligebat; idque cum tanta iniuria creatoris, quem cum æternum benedicere & glorificare debuissent, æternum forent maledicturæ, & blasphematuræ. Et quidem intensissimè ob easdem causas. Compassio & dolor de interitu tot animarum.

III. Quàm ardentia conceperit desideria eosdem zeli affectus deinceps frequentandi, quotquot pollet, verbo, exemplo, oratione in viam salutis dirigendi, ardua quæque pro conuersione animarum faciendi & patienti? Zelus eam æmulandi.

Quomodo Christus infans exercuerit  
actus absolutissima resigna-  
tionis.

VI.

I. **E**Xpende, quo pacto Christus præcipuos actus resignationis, quos inchoarat conceptus in utero, crebrius iterarit & continuarit natus in stabulo.

1. Ad omnia, quæ sibi ab æterno Patre iniuncta essent, aut iniungi possent, promptissimum se offerendo. 2. Ad omnia, quantumvis indigna, acerba, atrociosa, quæ sibi quoad animam, corpus, & famam toleranda forent, vnde cunquæ, & à quocunquæ inferrentur, de paterna eius manu acceptanda se liberalissimè resignando. 3. Omne eiusdem Patris beneplacitum atque inscrutabile decretum circa applicationem suorum infinitorum meritorum, quot, quibus, & quomodo placeret, vti & circa diuisionem donorum naturæ, gratiæ, gloriæ quoad se, omnesque, maximè electos, ab æterno decretam, & in tempore complendam intellectu reuerenter suspicendo, probando, laudando; voluntate hilariter acceptando, amplectendo, exosculando. Quos omnes affectus quàm  
para

pura intentione solius amoris, honoris,  
 & beneplaciti Patris : quàm profunda  
 submissione & abnegatione proprii iu-  
 dicij: quàm ardenti zelo deuotissimæ vo-  
 luntatis: quàm inuicta cōstantia in qui-  
 busuis aduersis : quàm insatiabili desi-  
 derio omnibus possibilibus modis le ad-  
 nutum diuinæ voluntatis accōmodan-  
 di frequētāuit: id quæ eō perfectius, quò  
 profundius penetrabat scientia diuina,  
 beata, infusa abyssum infinitæ sanctita-  
 tis diuinæ voluntatis, quæ regula est  
 omnis rectitudinis; infinitæ potentia,  
 sine cuius influxu nihil fit in mundo,  
 excepto solo peccato; infinitæ sapiētia,  
 quæ attingit à fine vsque in finem forti-  
 ter, & disponit omnia suauiter; infinitæ  
 bonitatis, quæ mirabiliter efficit, vt di-  
 ligentibus Deum omnia, prospera &  
 aduersa, cooperentur in bonum. 2. quò  
 euidentius hæc omnia, quæ diuinæ sa-  
 pientiæ facere, permittere, ordinare pla-  
 cuisset, cessura ad maiorē Patris, suam,  
 electorum quæ gloriam præuidebat. 3.  
 quò ardentiore zelo diuini honoris per  
 se electos quæ omnes promouendi, &  
 beneplaciti complendi flagrabat. Hos  
 tam sublimes resignationis actus in  
 Christo suspice, venerare, imitare.  
 II. Quomodo indoluerit hos resigna-  
 tionis

tionis actus à tam paucis , tam rarò ,  
 tam imperfectè desiderijs elici ; multò  
 rarius , & imperfectius re ipsa exerceri :  
 è contra à tot stultis filijs hominum ,  
 tam temerè , tam impudenter , tam  
 sacrilegè iustissima & sanctissima infi-  
 nitæ sapientiæ , iustitiæ , bonitatis de-  
 creta , permissiones , opera argui , im-  
 probari , blasphemari , intellectu , affe-  
 ctu , verbo , opere : idque tantò inten-  
 sius , quantò cernebat id esse in se indi-  
 gnus , diuinæ Maiestati contumelio-  
 sius , hominum saluti perniciosius. Do-  
 lor de imperfecta resignatione, opposi-  
 tisque defectibus.

III. Quàm insatiabiliter desiderarit  
 hos eisdem affectus tota vita continu-  
 are , & re ipsa demonstrare in obiectis  
 maximè arduis , nec solum in ijs , quæ  
 sibi facienda & perferenda esse iuxta  
 æternum Patris decretum præuidebat,  
 sed in omnibus etiàm alijs multò pluri-  
 bus & difficilioribus, si diuinæ volunta-  
 ti placuisset: insuper exemplo suo om-  
 nes ad æmulationem prouocare, ijsque  
 gratiam necessariam promereri , qua  
 in omnibus possent , modo vellent , di-  
 uinæ voluntati se conformare, idque ob  
 causas primo puncto insinuat. Ze-  
 lus proficiendi in perfectæ resignationis  
 exer-

exercitio circa obiecta obedientiæ, patientiæ, submissionis, seu reuerentiæ occultorum iudiciorum Dei.

VII.

*Quomodo B.V. puerpera eosdem resignationis actus internos elicerit.*

I. **E**Xpende simili ratione, quomodo B.V. Mater Deo, ut carne, sic & spiritu coniunctissima, eosdem tres precipuos resignationis actus, quos à primo rationis diluculo familiares sibi habuerat, in conceptu Filij, ac deinceps sublimius intenderat, nunc felicissima puerpera multò adhuc eminentius frequentarit coram intuens, totiesque peccatori apprimens tam viuum absolutissimæ resignationis exemplar: idque tantò purius, intensius, constantius, infatigabilius, i. quantò profundius causas, cur diuinæ in omnibus acquiescendum sit voluntati, præ omnibus puris creaturis, in hac vita, penetrabat. 2. quò intensius non solum Deum, sed quicquid insuper ipsi placeret, super omnia propter ipsum diligebat. 3. quò minus ab inordinato amore proprii iudicij, propriæ voluntatis, ac sensualitatis, à quo lon-

longissimè aberat, in hoc resignationis exercitio præpediebatur, & quò magis præsidio obedientiæ, humilitatis, patientiæ, fiducia, charitatis, aliarumque virtutum, quarum habitus tot eximijs actibus eminentissimè intenderat, in eodem exercitio adiuuabatur. Hos absolutissimos B. V. actus expensos, suscipe, & similes elice.

I. Quam ardentè optârît, se hos affectus omnibus elapsæ vitæ momentis, crebrius, purius, intensius, solidius insatiabilius exercuisse: quàm doluerit de tanta ingratorum & proteruorum hominum cæcitate, socordia, temeritate, qua iudicium proprium, & voluntatem suam diuinæ sapientiæ & voluntati proponere, inscrutabilia Dei iudicia, decreta opera iudicare, carpere, conculcare, non verentur: & quidem tantò intensius, quantò perspicacius tam graues hac proteruia diuinæ Maiestati illatas iniurias agnoscebat, & firmiter apprehendebat: quantoque zelosius eisdem infinitam sanctitatem, iustitiam, potentiam, sapientiam, bonitatem in omnibus iudicijs & operibus suis ab omnibus agnosci, suspici, amari & glorificari cupiebat. Et hos expensos affectus admirare, & imitare.

H

III. Quàm

III. Quàm efficacia conceperit proposita hos resignationis affectus omni meliori possibili modo reliqua vita frequētare, & opere ipso declarare in quibusvis obiectis obedientiæ, patientiæ, submissionis, quantumuis arduis, purissimè propter Dei amorem & beneplacitum; intensissimè, quoad conatū intellectūs, voluntatis & exterioris cooperationis; constantissimè, tempore prosperitatis & aduersitatis; insatiabilissimè, quoad heroica desideria omni possibili perfectione ad nutum diuinæ voluntatis se conformandi in tempore & æternitate: idque ob causas 1. puncto allatas. Zelus æmulandi hanc absolutissimam voluntatis nostræ cum diuina conformitatem.

4. Hebdom.  
Post Epiphaniam.  
I.

Dominica IV. Post Epiphaniam

*De sedata maris tempestate. Matt 8.*

I. **D**ormiente Christo oborta est in mari vehemens tempesta. Vt ab origine mundi tam nauis vniuersalis Ecclesiæ electorum filiorum Dei, quam nauicula particularis cuiusque electi.

tantis

tantis hucusque tentationum, persecu-  
tionum, tribulationum, desolationum,  
omnisq; generis aduersitatum procel-  
lis iactata fuit, vt videri posset Deus  
illius omnino oblitus: ita etiamnum  
ijsdem iactari finitur occulto quidem,  
sed misericordi diuinæ prouidentia  
consilio. 1. Vt electi suam infirmitatem  
humiliter agnoscant. 2. Vt sibi diffiden-  
tes diuinum auxilium implorent. 3. Vt  
strenuè cooperari diuinæ gratiæ absq;  
stipendio cœlestis solatiij discant. 4. Vt  
viriliter certando meritum augeant. 5.  
Vt gloriose vincendo solidarum virtu-  
tum altiores radices agant. 6. Vt alios  
debiliores tepidioresue ad emulandum  
prouocent. 7. Vt tot victorijs gloriosio-  
rem æternæ vitæ coronâ sibi conquirât.

Quam bonus & misericors erga ele-  
ctos suos est Deus, non solum, dum il-  
los prosperis successibus & solatijs fo-  
uet ac recreat, sed etiâ varijs ærumnis  
& desolationibus exercet & castigat!  
Amer crucis, resignatio.

II. Excitarunt eum territi discipuli,  
quos sic arguit: *Quid timidi estis modica  
fidei:* deinde surgens, imperat ventis &  
mari, & facta est tranquillitas magna.

Quâta felicitas hominis verè pij, aut  
religiosi in gratia iugiter viuentis, cre-

brò dignè communicantis, intimam cum Deo familiaritatem in exercitijs deuotionis fouentis, cui insurgente quauis tentationum vel aduersitatum procella præstò est adiutor infinitæ potentia, sapientia, bonitatis, qui possit, sciat, velit succurrere; modò cum uiua fide, filiali fiducia, & resignatione debita inuocetur! Gratitude, spes, feruor ad Christum confugiendi in aduersis.

III. Porò homines mirati sunt, dicentes: *Quis est hic, quia ventus & mare obediunt ei?* Quam merito suspicienda, collaudanda, amanda & glorificanda est infinita potentia, sapientia, bonitas Saluatoris nostri Dei, qui uti tunc solo imperio ventorum fluctuumque rabiem compescuit: sic etiam nunc exsurgentes contra fluctuantem Ecclesiam suam, & cuiusque electi nauiculam tentationum, persecutionum, tribulationum, ærumnarumque procellas toties, si expediat, sedare dignatur, quoties seridò inuocatur?

Si porò in hoc exilio tantam parit electis admirationem simul & exultationem obscura agnitio diuinæ benignitatis, è turbulentis periculis, & tribulationum fluctibus eos eruentis; qualem pariet in patria beatis clara in-

cursio

tuitio eiusdem eos è periculoso huius vitæ pelago ad felicissimum æternæ tranquillitatis portum tam mirabiliter deducentis? Fiducia filialis, patientia in aduersis, desiderium patriæ cœlestis.

*De Purificatione B. V. Matris, & Presentatione Filij. Luc. 2.* II.

I. **C**VM B. Virgo Deipara quadraginta iam dies in spelæo Bethlehemitico sanctissimè exegisset, porro legi examussim satisfactura cum Beato Iosepho accingit se itineri Ierusalem versus, vt in templo Domini solemnî sacrificio purificata Filium æterno Patri offerat, & quinque siclis redimat.

Quò humilitatis, gratitudinis, amoris, resignationis ac deuotionis sensu, priusquam viam hanc ingrederetur, prostrata coram filio & Deo suo gratias ac laudes retulerit æterno Patri pro tot admirandis fauoribus, beneficiisque sibi filioque in hoc antro exhibitis! Quàm ardentem eisdem affectus continuerit in via identidem blandè intuens, dulciterque pectori suo apprimens dilectissimum viscerum suorum! Quântò ardentius eisdem intenderit à longè conspicata templum, in quo se

tot annis cœlestibus delicijs enutritam grato animo recoluit! ac tandē multo etiam ardentius conscendens templi gradus, quos se trimulam, cum à parentibus illuc deduceretur, exultandam conscendisse meminit, præsertim cum se iam veri Messæ, cuius magnæ matris minima ancillula tunc esse optârat, ex gratuita gratia effectam matrem cerneret!

O anima mea, si & tu eisdem affectus simili pietate elicere studeres toto tempore peregrinationis tuæ ad cœlestem Ierusalem, maximè tunc, cum eundem in sacra communione exceptum corpore tuo gestas, quem ipsa brachijs circumferebat, quantis diuinorum solatorum delicijs diffloeres? quanta alacritate continuos in via perfectionis progressus faceres? Zelus imitandi Beatam Virginem in prædictis affectibus frequentandis.

II. Templum ingressa iuxta legem sistens se filiumq; Domino, obtulit conuersum pauperibus sacrificium, paraturum, aut duos pullos columbarum: idque quàm eximio humilitatis, reuerentiæ, zeli gloriæ Dei, deuotionis affectu! quàm ardenti desiderio filium, qui voluit velut peccator circumcidi,

imi-

imitandi, omnesque ad sui filij; imitationem in his virtutibus prouocandi? Zelus eandem in his æmulandi.

III. Deinde primogenitum suum æterno Patri præsentauit, eundemque quinq; siclis redemit in memoriam liberationis Israel ex Ægypto, & præseruationis ab interneccione primogenitorum; simulq; seipsam totam, quoad corpus & animam, diuino eius obsequio liberalissimè obtulit: & hoc quidè tantò inflammatiore humilitatis, gratitudinis, zeli gloriæ Dei & deuotionis affectu, quò hoc sublimius fuit, æternoque Patri præ tot millenis primogenitorū oblationibus acceptius sacrificiū.

At quantò tandem sublimiore humilitatis, gratitudinis, amoris, zeli, resignationis excessu diuinus infans seipsum in manus eiusdem Patris, pro nobis omnibus à diabolicæ seruitutis iugo liberandis obtulit, cum incensissimis flammæ cordis desiderijs faciendi & patiendi, quicquid ipsi placuisset!

Quanta charitas Filij Dei erga nos indignos seipsum pro nobis tam liberaliter ad ardua quæque offerentis! Quanta liberalitas patris tam vili pretio redimi talem filium patientis, vt totus noster sit, nostrisque commodis se

totum impendat ! Amor , gratitudo , oblatio sui ipsius , seu perfecta resignatio.

III. *De exultatione , prædicatione , & confessione Simeonis & Anna in Præsentatione Christi.*

LUC. .

I. **S**IMEON iustus & timoratus expectans redemptionem Israel , veniens in spiritu in templum , agnovit infantem Christum , prout sibi fuerat diuinitus promissum , supplex & exultans adorauit , in vlnas reuerenter accepit.

Quantam illa gratia , huic sancto seni præ tot millenis millibus concessa , vt se assiduo studio eximie perfectionis , & zelo gloriæ Dei & salutis animarum disponere sciret , posset , vellet ad illam diuini fauoris prærogatiuam singularem , qua peculiari assistentia spiritus Sancti dirigi , de instanti aduentu promissi Messie certior reddi mereretur , tandemque dignus haberetur illum ipsum , quem tot retrò sæculis tot iusti , tot Prophetae , tot reges videre desiderarant , non solum coram intueri , sed & amplecti & osculari !

Quam

Quàm beati eius oculi, quàm beatæ manus, quàm beatus sinus, in quo Deus infans requiescere est dignatus? Quam humili, grato, incensoque animo tantam diuinæ benignitatis erga se dignationem agnouit, suspexit, magnificauit? quale intrus gaudium, quale amoris incendium in corde sensit, quando tamdiu expectatum Saluatorem mundi pectori appressit?

O quoties tibi similis offertur gratia in sacrosanctæ Eucharistiæ adoratione, oblatione, sumptione! qua si lubeat plenius potiri, conare hunc deuorum senem in zelo propriæ a lienæque perfectionis, arctæque cum Deo coniunctionis æmulari.

II. Lætitia gestiens & dissolui cupiens prorupit in Canticum: *Nunc dimittis*, quanto affectu gratitudinis, fiduciæ, amoris, zeli gloriæ Dei! quàm fastidit terrena, incipiens gustare cœlestia! quàm vilescit illi desiderabile lumen cœli, cui datum est solem iustitiæ iam mundo exortum intueri? O quàm felix anima, quæ in assiduo studio perfectionis, intimæque cum Deo communionis in venerabili Sacramento, alijsque deuotionis exercitijs meretur diuinas prægustare delicias! quàm facile illa

H s ter-

terrenas fastidit consolatiunculas, anhelat ad cælestes! quàm hilariter ambulat, currit, volat ad omnia exercitia pietatis & mortificationis, ad quæ vix ante vel gehennali timore se compelli sinebat! At quantò felicior anima, quæ in continuo fervore spiritûs perseverans, sub egressum è corpore præsentire meretur illam pacem exuperantem omnem sensum, illam mentis serenitatem, illam dulcedinem, quâ se fruituram sperat in cælo, simulque ineffabili cum exultatione inchoare suavissimos illos affectus gratiarum actionis, amoris, ac laudationis diuinæ Maiestas in viâ, quos cõtinuabit eternum in patria! Zelus cõtinuus & cõstans eximiæ perfectionis, spes & desiderium patriæ cælestis.

III. Prædixit Simeon acerbam diuini infantis passionem: *Positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorû in Israel, & in signum tui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Anna quoque casta, pia vidua, orationi, ieiunio & perfectæ legis obseruationi dedita, diuino afflata spiritu, eundem esse verum Messiam agnoscit, & palàm profitetur.

Quantum gaudium Beata Virgo cum Sancto Iosepho hausit ex eo, quod cerneret

neret filium à Sanctis illis à Sancto Spi-  
ritu illuminatis agnosci, adorari, & præ-  
dicari verum Salvatorem mundi: tan-  
tum percepit dolorē ex eo, quod audi-  
ret eundem multis, qui, culpa sua, tanta  
eius dignatione essent abusuri, fore la-  
pidem offensionis, & petram scandali,  
& scopum, in quem essent sagittas ca-  
lumniarum, maledictionum, oppro-  
briorum, persecutionum iaculaturi.

Quàm heroico animo se B. Mater ad  
acerbissima & indignissima quæq; cum  
filio toleranda resignarit? quàm acri ex  
tunc compassionis gladio cor eius trās-  
figi cœperit ex filij passione tam longē  
ante præuisâ? Gaudium de gloria Chri-  
sti, amor Crucis cum Christo, & pro  
Christo.

*De fugâ Christi in Aegyptum. Matt. 2.*

IV.

I. **C**VM peracta oblatione diuini in-  
fantis, in templo, Ioseph cum B.  
Matre in Nazareth reuerti pararet, vel  
reuersus, istic aliquam diu substitisset,  
vel, vt alij volunt, statim à discessu Ma-  
gorum, per Angelū in somnis monitus  
est, fugere in Aegyptum, ob insidias  
Herodis: *Surge & accipe puerum, & Ma-  
trem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi,  
usque*

H 6

usque

*vsque dum dicam tibi.* En quàm marurè, æternus Pater persecutionem pati sinit dilectissimum Filium! quàm promptè, Patris beneplacitum amplectitur filius, iam tunc demonstrans nobis exemplo, regiam Crucis ad cælum viam! Quàm mira Dei erga dilectissimos quosque filios suos dilectio, quos eò pluribus, & grauioribus tentationibus, persecutionibus ærumnisque obrui permittit, quò tenerius eos diligit, sublimiusque in cælo exaltari cupit! Amor Dei, resignatio in manus diuini beneplaciti, tam in aduersis, quàm prosperis.

II. *Qui consurgens accepit puerum, & Matrem eius nocte, & fugit in Aegyptum.* En luculentum absolutissimæ obedientiæ exemplum in B. Iosepho & B. Virgine Matre! quàm cæcè, quàm promptè, celeriter, hilariter, quàm integrè absque vlla replicatione aut tergiversatione, cum perfectissima proprii iudicij, & voluntatis abnegatione tam inexpectatum, durum & arduum exequuntur mandatum, cum heroicis desiderijs in pluribus, etiàm magis arduis, diuino nutui parendi? at quàm excel- lentiore modo diuinus infans similes tunc affectus elicuerit, vt nobis copiosam impetraret gratiam intellectu, affe- ctu, &

ctu, & effectu perfectissimè diuinæ voluntati per Superiores nobis insinuata, obtemperandi?

Quanta alacritate & constantia tam longæ difficilisque per deserta, inculta, & aspera loca peregrinationis molestias tolerarint, suauissimam diuinæ providentiæ dispositionem suspicientes, atque in æterni Patris beneplacitū mentis oculos iugiter non absque singulari gaudio defigentes? Perfecta obedientia; & patientia.

III. Ad primum pueri Iesu in Aegyptum ingressum omnia simulacra, quibus illa scatebat, commoueri cœperunt, iuxta Isaia vaticinium: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingreditur Aegyptum, & commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius.* Nam teste Lib. 10. Nicephoro, cum Christus Hermopolin urbem Thebaidos cum Sanctissima Matre & Iosepho attigisset, annosa arbor, Persis nomine, in qua Cacodæmon à cœca illa gente impiè colebatur, incuruata ramos ad terram vsque demisit, & quasi prona præsentem Dominum Maiestatis adorauit. In eadem urbe, teste Palladio, omnia cuiusdam templi idola in aduentu Christi confecta conciderunt: quod & alibi similiter

Isa. 19.

Lib. 10.

c. 31.

In vita

Appollo-

nij Abb.

c. 32.

contigisse piè credendum iuxta Epi-  
 phanium, qui in vitâ S. Hieremias re-  
 fert, eundem Ægyptijs prædixisse, o-  
 mnia eorum idola ad primum Virginis  
 cum filio suo ingressum in eas oras  
 comminutum iri. Quanto gaudio ex-  
 ultarint B. Virgo & Ioseph, cum cerne-  
 rent tam miris prodigijs filij diuinita-  
 tem gloriamq; manifestari! Dæmones  
 hucusque ab Ægyptijs cultos fugari,  
 sicque spem affulgere, profligatâ idolo-  
 latriâ regnum illud adeò sterile, spino-  
 sum, tamque abominandis supersticio-  
 nibus plenum conuertendum breui in  
 paradisum, ex quo suauissimi flores tot  
 Martyrum, Monachorum, & Anacho-  
 retarum essent prodituri! Quanto è  
 contra dolore affecti fuerint, cum vi-  
 derent dæmonibus in tot idolis, brutis  
 animantibus, atque adeo ipsis etiâ ser-  
 pentibus diuinos honores sacrilegè de-  
 ferri, sicq; dementatos miserabiles illos  
 populos maximo numero ad inferos  
 ferri! cum insuper audirent immanem  
 illam Herodis tyrannidem in innocen-  
 tes exercitam iam fama vulgatam? Quâ  
 teneros intimæ compassionis, quam ar-  
 dentes zeli diuini honoris affectus cre-  
 berrimè elicuerint? quot lacrymas fu-  
 derint, quâto hæc omnia diuinius præ-  
 stiterit

stiterit diuinus infans? Gaudium de gloria Christi, zelus diuini honoris, & animarum pereuntium salutis.

*De reditu Christi ex Aegypto. Matt. 2. IV.*

I. ERAT ibi vsq; ad obitum Herodis, integrum videlicet septennium.

Quàm varias, grauesque tam diuturni apud ignotos, barbaros, idololatrias, exilij ærumnas sustinere dignatus est Filius Dei, sponte exulans a cœlesti regno tanquam aduena & peregrinus in Aegypto, propter homines, culpa sua extores paradiso, veros aduenas & peregrinos in terra, cui maledixit Dominus! 1. Ut eos ab æterno, quod meruerant, exilio, liberaret. 2. Ut exilij huius ærumnas æquanimiter ferre, atque in his ad cœlestem patriam suspirare doceret. 3. Ut easdem nobis & exemplo suo tolerabiles, & gratia, quam promeruit, meritorias redderet, ac per illas æquo, fortis, hilarique animo toleratas, aditum nobis ad cœlestis paradisi quietem resereret.

Quàm profundè id B. Virgo cum Sancto Iosepho expenderit, ac proinde quanta æquanimitate & lætitia omnes occurrentes molestias deuorârunt! quam meritò idem nobis æmulandum, quibus

bus constat, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei? Gratitudo, amor, patientia in ærumnis.

II. Defuncto Herode monetur in somnis Ioseph per Angelum reuerti in terram Israel. Quanto hoc cœleste oraculum B. V. & Ioseph cordis tripudio, quanto fiducię erga diuinam providentiam incremento exceperint? quàm deuotè in diuinę bonitatis laudes cum filiolo septenni eruperint? quàm ardentè sese diuinę voluntati resignarint? quàm hilariter sese itineri, quantumuis longo ac difficili, accinxerint? quantò maiore mœrore ante eum regio

*Psal. 136.*

*Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, cum recordaremur tui Sion: tantò nunc maiore iubilatione concinuit: Latatus sum in his, qua dicta sunt mihi in domum Domini ibimus.*

O quàm felices illi, qui exilij huius molestijs patienter toleratis merentur sub horam mortis cum filiali fiducia euocari in cœlestem patriam, vbi æternum videbitur, amabitur, & laudabitur Deus Deorum in Sion! Fiducia, feruor constans ardua quæque faciendi, & patiendi pro gloria Dei.

III. Re-

III. Redeuntes in terram Israel diuino monitu ob timorem Archelai regnantis pro Herode, secesserunt in Nazareth Galileæ, vnde Iesus Nazareus, id est, Sanctus, Deo sacer, floridus, non absque singulari Dei prouidentia dictus.

Quàm molestum illis fuerit hoc tam horridum & longinquum iter, præsertim septenni Iesulo? quanta nihilominus alacritate, & gaudio illud confecerint, nunc, more suo, diuinæ prouidentia & bonitatis abyssum contemplan- do, nunc affectus consuetos humilitatis, gratitudinis, amoris, resignationis, zeli gloriæ Dei identidem innovando, nunc piè colloquendo, nunc in diuinas laudes psalmosque medullitus erumpendo. En modum piissimum laboriosam huius ærumnosæ vitæ nostræ peregrinationem ad cœlestem patriam piè instituendi. Hanc admirare & imitare.

*De Christi duodennis ascensu in templum. Luc. 2.* VI.

I. **P**Ver Iesus factus annorum duodecim ascendit Ierosolimam cum Beata Matre & Iosepho, secundum consuetudinem diei festi, i. Vt nobis exactæ.

exactæ obedientiæ, eximia deuotionis, & zeli gloriæ Patris exemplum daret. 2. Vt gratiam imitandi impetraret. 3. Vt culpas, & negligentias nostras, in his committi solitas, expiaret.

Quâ modestia, reuerentia, pietate hanc sacram peregrinationem peregerint, nunc diuina mysteria & beneficia attentè contemplando, nunc inflammatas piorum desideriorum sagittas eiaculando, nunc pariter psalmos piè recitando, nunc sanctos de rebus diuinis sermones miscendo, sicque itineris molestias releuando? quanto porò maiore modestia, reuerentia & pietate solemnibus in templo sacrificijs, diuinisque laudibus interfuerint? Quam sublimes religionis, zeli gloriæ diuinæ, humilitatis, gratitudinis, amoris, resignationis, aliosque sibi familiares affectus multò tunc affectuosius frequentarint?

Quam æquum foret, vt simili reuerentia, intentione, attentione, deuotione solitis deuotionis exercitijs secundum exemplar hic tibi propositum vacare nitereris? Gratitudo, zelus exercitia deuotionis perfectè obeundi.

II. Remansit illic consummatis diebus puer Iesus inscijs parentibus, qui existimantes

mātes illum esse in comitatu, cum post iter diei quēsitum non reperissent inter cognatos & notos, regressi sunt in Ierusalem requirentes eum. Voluit Iesus triduo illo Ierosolymis remanere non cōsultis parētibus, quos sciebat maximo perē cōtristandos, 1. Ut nobis in tantilla ætate heroicum præberet exemplum exuendi omnē carnis & sanguinis affectū erga parentes, & carnaliter propinquos, si conentur nos, quoquo modo, in diuino obsequio impedire. 2. Ut copiosam sic promereretur nobis gratiā, naturalem illū inordinatum que filiorū erga parentes, & parentum erga filios amorem generosē vincendi, atque in spiritualem ordinatumq; conuertendi. 3. Ut parentibus suis ampliorem præberet occasionem merendi, posterisque exemplum relinquendi, ut filiorum a se diuulsionem, si à Deo vocentur, resignato animo ferant.

Quām sanctē Iesus hoc triduum in templo, velut alter Samuel transegerit, absque cibo, vel tenui emendicato vitans, humi cubans, in oratione pernoctans, auxilia gratiæ omnibus exemplū suū secuturis enixē efflagitās, atque in spiritu exultās, præuidēs tot insignes victorias, quas de carne & sanguine tot  
vtrius-

utriusque sexus essent relaturi? Quanto  
 è contra in mœrore Beata Virgo cum  
 Iosepho hoc triduo fuerit, ob dulcissi-  
 mi filij sui absentiam, quem sollicitè  
 quærebat, ad quem velut vnicum ani-  
 mæ suæ solatium lacrymabunda sui om-  
 niumque oblita suspirabat, non ta-  
 men immoderata cum tristitia, sed exi-  
 mia cum humilitate, & resignatione in  
 beneplacitum diuinæ providentiæ.  
 Mortificatio affectus erga sanguine  
 iunctos, resignatio & humiliatio sui in  
 desolatione

III. Post triduum repertus in templo  
 in medio Doctorum audiens, & inter-  
 rogans illos, matris amorosè dolorem  
 suum & Iosephi exponenti, *Fili, quid  
 fecisti nobis sic?* respondit subduriusculè  
 in speciem, sed non absque magni pon-  
 deris ratione, omniumque nostrum  
 perfectionis: *Nesciebatis, quia in his, quæ  
 patris mei sunt, oportet me esse?* 1. Ut se non  
 purum hominem esse ostenderet, sic-  
 que magnum Incarnationis mysteri-  
 um, ut aliàs sæpè, sic etiam nunc, quan-  
 do cœpit aliquos diuinæ sapientiæ ra-  
 dios mundo communicare, vehemen-  
 tius inculcasset. 2. Ut zelum diuini serui-  
 tij omnibus rebus præponendum esse,  
 nec in parendo diuinæ vocationi ad  
 Ratum

Statum perfectionis parentum diuinæ voluntati repugnantium consilia requirenda manifestè doceret. 3. Vt Beatę Matri ansam maioris meriti per exercitium humilitatis, patientiæ & resignationis, quod ad nostram instructionem opus erat, hac ratione præberet. Quod responsum mysterijs plenum B. Virgo absque vlla perturbatione aut tristitiâ, humili grataq; mente acceptauit, *conseruans omnia verba hac in corde suo*, profundeque expendit, eximiosque pariter humilitatis & resignationis affectus exercuit. Zelus patendi diuinæ vocationi, vindicandi affectum carnis & sanguinis, humilitas, patientia & resignatio in admonitionibus, increpationibus, desolationibus ferendis.

De vitâ Christi priuatâ vsque ad trigesimum ætatis annum Luc. 2. VII.

I. **I**esus descendit cum eis, & erat subditus illis. Quanta illa Filij Dei dignatio, quis enim & qualis, quibus & qualibus subditus esse, atque in omnibus perfecte obtemperare dignatur? Dominus seruis, rex subditis, creator creaturis, Deus infinitæ maiestatis, vilibus terræ vermiculis. *Quomodo?*

doz

do? perfectissimè, quoad intellectum, voluntatem, & executionem, in omnibus, quæ sciret placere Matri, & Iosepho, non expectando imperium, sed præueniendo nutum; purissima cum intentione gloriæ Patris, & nostræ salutis, ac perfectionis; ardentissima cum deuotione, humilitate, reuerentia, alacritate, insatiabili cū desiderio in pluribus, magisque arduis ac longè diutius ad nutū æterni Patris omnibus, quibus placeret, & in omnibus vsq; ad cōsummationem sæculi parendi. Has ob causas, 1. Vt inobedientiã Adæ, omniumque nostrū expiaret, iniuriãq; æterno Patri illatam resarciret. 2. Vt perfectę obedientiæ ideam, quam imitaremur, viuis quasi coloribus expressam nobis relinqueret. 3. Vt vberem gratiam æmulandi, tot heroicis obedientiæ actibus, impetraret.

En Deus amore tui creaturis obedire, & quidè perfectissimè, gessit; tu puluis & cinis amore Creatoris Superioribus tuis parère renuas, aut imperfectè parere præsumas? Gratitude, amor, zelus proficiendi in perfecta obedientia.

*II. Proficiebat sapientia, & aetate, & gratia apud Deum & homines. En increatum, æternum verbum Patris, infinitæ sapientię*

entia & sanctitatis, quod in se proficere non potuit: idemq; caro factū ab initio conceptionis plenū gratiæ & veritatis, scientiæ & sanctitatis, quod in his charismatis crescere non decuit: nihilominus ita sese exterius gessit, tamq; serid, ordinaria media, insignem animæ puritatem, virtutum soliditatē, propriæque voluntatis cum diuina conformitatem acquirendi, cōseruandi, augendiq; adhibuit, ac si horū adminiculis, ad gratiæ & sanctitatis augmentū cōparandum, ac tot multiplicatis, tamq; eximijs omnium virtutū actibus ad infusos ab initio habitus intendēdos egeret: cum tamē illis reuera non sibi virtutum, quas perfectissimas acceperat, incrementum acquireret, sed nobis vberiorē gratiam, quā plurimū egebamus, impetraret. Et quidē in hunc finē, vt sic nobis exēplo suo studiū continuū progrediēdi in via perfectionis inculcaret, tepiditatē nostrā expiaret, feruens desideriū proficiendi cum ceteris charismatis necessarijs promereret. quāta & illa amantissimi Saluatoris nostri dignatio! quātus amor! Gratitude, amor, zelus proficiēdi.

III. Iesus fabrilem artem vsq; ad trigessimū ætatis annū exercuisse colligitur ex illo Marci 6. *Nonne est hic faber?*

*Marc. 6.*

*ber?*

ber? Voluit Filius Dei, mundi Saluator,  
 summus legislator, summus rex, &  
 Pontifex, triginta annis priuatam vi-  
 tam agere, incognitus latere sicque per  
 exercitia vitæ actiuae, & contemplatiuae  
 se ad prædicationis officium auspican-  
 dum præparare: cuius *typum* gessit *Ioseph*  
 triginta annis incognitus latitans, præ-  
 usquam à Pharaone toti Aegypto præ-  
 ficeretur: *Moyfes* similiter, qui multis  
 annis occultus in terra Madian vixit  
*David*, qui triginta annis partim occultus,  
 partim profugus latuit, antequam  
 ille ad liberandum populum Israel, hic  
 ad regendum assumeretur, idque ob  
 has potissimum causas. 1. Ut doce-  
 ret exemplo suo omnes ad salutem ali-  
 orum, quouis modo, vel docendo, vel  
 regendo procurandam vocatos, oportere  
 prius, diu multumque in propria  
 perfectionis studium incumbere, pro-  
 fundumque intimæ humilitatis, subie-  
 ctionis, resignationis, deuotionis, alia-  
 rumque virtutum fundamentum po-  
 nere, priusquam ad alios dirigendos  
 perficiendosque audeant prosilire. 2. Ut  
 retunderet nonnullorum intempesti-  
 uum zelum alios docendi & regendi,  
 priusquam ipsi sufficienter doctrina &  
 virtute sint instructi, immemores ma-  
 gistri

gistri sui, de quo scriptum: *Cœpit facere & docere*. Et illius D. Gregorij moniti: *Non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit hominibus benè viuendo praire.*

3. Ut omnibus priuatam vitam, religionisque actiuam, aut mixtam sectantibus, ordinarias statui cuiusque proprias functiones, quantumuis viles & abiectas, piè perfecteque obeundi absolutissimum exemplar ob oculos poneret. 4. Ut copiosa auxilia gratiæ ad imitandum necessaria omnibus impetraret, suoque exemplo efficacius omnes ad æmulandum prouocaret. 5. Ut defectus in his committi solitos, amorisque propriæ excellentiæ & existimationis excessus superabundè expiaret.

Quàm diuinos inter hos manuum labores affectus omnium virtutum frequentârit, quàm heroica desideria plures, abiectiores, duriores, diuturnioresque amore nostri, labores, ærumnasque interposuerit, quàm feruenter suos conatus æterno Patri pro singulis electis obtulerit? quàm admiranda illa Filij Altissimi demissio, non dedignantis in sudore vultûs sui opere manuum victum quotidianum lucrari? quàm obstupuerint angelici spiritus

potentissimum fabricatorem orbis, qui tribus digitis appendit molem terræ, fabrilem artem exercere, nec novum fabricare mundum, sed humilitatis gladium, quo caput infernalis Goliathi amputet, superbiamque humanæ iugulum transfigat? Quam merito nos deceret tantam eius dilectionem admirari, & dignationem imitari? Zelus opera humilitatis, omniaque ordinaria munia piè perfecteque obeundi.

5. Heb-  
domas  
Post E-  
piph.

Dominica V. Post Epiphaniam.

De bono semine & zizanijs. Matt. 13.

1.

I. **C**ONSIDERA quàm sedulò Deus seminator bonorum hominum in agro Ecclesiæ suæ, & animæ cuiusque Electi seminet bonum semen coelestium veritatum, piarum cogitationum, sanctorum desideriorum, diuinorum impulsuum, aliorumque gratiæ excitantis auxiliorum, ex paterno affectu, eo consilio, ut semen illud magnos omnimodæ perfectionis, gratiæ & gloriæ fructus proferat: è contra, quàm sollicitè Sathan quærat omnes occasiones  
super-

superseminandi zizania errorum variorum, malarum cogitationum, pravorum desideriorum, peruersorum instinctuum, eo fine, vt sementem bonam suffocer, loliaque scelerum æternis ignibus comburenda multiplicet. Quanta nihilominus nostra in fraudibus dæmonis cauendis incuria? quanta in diuinæ gratiæ cooperando socordia? Gratitude, feruor & iugis vigilantia in diuinis inspirationibus amplectendis, diabolicis respuendis.

II. Cur permittat Deus malos inter bonos viuere, electosque varijs modis tentari & probari, 1. Vt ostendat diuitias potentiæ & sapientiæ suæ, quod possit ac sciat ex malis elicere bona. 2. Vt bonitatis & longanimitatis suæ abyssum ob oculos nobis ponat, quod sic electos suos probatos ad sublimiorem gloriam prouehat, malisque tempus respiscendi prolonget. Admiratio reuerentialis diuinorum iudiciorum, resignatio, spes & magnanimitas in tempore tentationum.

III. Expende pœnam reproborum diuinâ longanimitate abuentiũ, quorum mala opera à dæmonibus colliguntur, ob quæ æternum comburantur: sicut bonorum bona à sanctis Angelis.

obseruantur, ob quæ æternum remunerentur. Horror peccati & tepiditatis, feruor profectus spiritualis.

*Pro hac hebdomada loco meditationis possit primus modus orandi Sancti Patris Ignatii prolixius exerceri, circa sequentes materias tribus vīs accommodatas, de quibus vide i. p. Industriarum c. 11. §. 1.*

II. 1. De tribus animæ potentiis & quinque sensibus corporis, in quorum singulis paulò accuratius expendenda 1. dignitas, præstantia, vtilitas. 2. finis à creatore intentus. 3. Vfus seu modus optimus singulis vtendi secundum exemplar Christi, & B. V. cum dolore de malo singulorum vsu, & proposito commendationis, & petitione gratiæ per subiunctam orationem Dominicam, aut salutationem Angelicam, prout fusius explicatur loc. cit.

III. 2. De præcipuis virtutibus, quas Christus priuatam vitam agens cum B. V. exercuit, vt sunt humilitas, paupertas, modestia, obedientia, patientia, deuotio, gratitudo, amor Dei, zelus gloriæ Dei & salutis animarum, & similes; in quarum singulis expendendum 1. Quid, quales, quàm præstantes in se sint quàm Deo gratæ, nobis proximisque vtilis & necessaria. 2. quàm eximie

eximiè earum actus Christus exercue-  
rit, nobis que exemplo inculcârit. 3.  
quàm copiosam gratiam imitandi tot  
heroicis singularum actibus prome-  
ruerit. 4. quomodo nos tantæ gratiæ  
cooperati simus in ijsdem virtutibus  
acquirendis, & exercendis, cum dolo-  
re de nostrâ sôcordiâ, proposito emen-  
dationis, & imploratione veniæ &  
gratiæ, subnectendo *Pater noster*, &  
*Ave Maria*, vel: *Veni. Creator Spiri-*  
*tus.*

3. De virtutibus in Oçto beatitudi-  
nibus comprehensis, quas prius ex-  
pressit exemplo, & quidem perfectissi-  
mè, quàm doceret verbo. In quarum  
singulis expendenda ferè eadem, quæ  
in supradictis virtutibus.

IV.

4. De præcipuis exercitijs pietatis  
ordinarijs cuiusque statui accommo-  
datis, vt sunt modus piæ surgendi ma-  
nè, seque Deo commendandi; medita-  
tio; recitatio Horarum, aut alia voca-  
lis oratio; studium literarum, vel opus  
manuum; frugalis corporis refectio;  
religiosa recreatio; crebra recollectio;  
pia lectio; conscientiæ discussio; piè  
se Deo vesperi commendandi ratio. In  
quarum singulis expendendum, 1.  
quàm singula hæc exercitia sint Deo  
I 3 grata,

V.

grata, nobisque meritoria, si bene  
ant. 2. quam facile cum diuina gratia  
accuratius à nobis possent obiri secun-  
dum exemplar Christi aut B. Virginis.  
3. quantam ad id Christus nobis gratia  
olim impetrarit, & nunc liberaliter ob-  
ferat. 4. quomodo nos ea obire hucus-  
que studuerimus, & quam perfecte de-  
inceps velimus, cum dolore, proposito  
emendationis, & petitione gratiæ, Vt  
suprà.

## VI.

5. De præcipuis beneficijs diuinis, vt  
sunt æterna dilectio, & prædestinatio,  
redemptio, vocatio ad fidem, iustifi-  
catio, vocatio ad religiosum, aut pi-  
um alium statum, peculiaris assistentia, fi-  
nalis perseuerantia, glorificatio. In sin-  
gulis expendendum 1. quam magna &  
eximia sint. 2. quanto gratitudinis, a-  
moris, deuotionis affectu sæpius fo-  
rent recolenda & compensanda 3. quot  
modis id præstare potueris 4. quot sti-  
mulos ad id impellentes senseris, quot  
præsidia gratiæ necessaria acceperis. 4.  
quam imperfectè gratum te exhibue-  
ris, quam perfectè deinceps exhibere  
velis, cum deprecatione culpæ, & im-  
ploratione veniæ, subdendo *Laudate  
Dominum omnes gentes, vel, Te Deum  
laudamus.*

6. De

6. De præcipuis actibus amoris Dei, vt sunt: velle Deo omne bonum, amplecti omne eius beneplacitum, exequi omnem eius nutum: Grati- tudinis, vt sunt: agnoscere benefi- cium, laudare benefactorem, benefi- cium compensare: Zeli gloriæ Dei, vt sunt: optare Deum ab omnibus agno- fci, amari, glorificari; dolere eum vlla ratione ab vho offendi; pro eius gloria velle quiduis facere & pati: & similia virtutum actibus. In quorum singulis expendendum 1. quàm Deo grati, & meritorij sint, si perfectè, i. purè, inten- sè, constanter, insatiabiliter exercean- tur. 2. quàm perfectè eos Christus, aut B. V. frequentarit, quàm copiosam gra- tiam imitandi tibi promeruerit. 3. quàm oscitanter eos hucusq; elicie- ris, quàm ardentè deinceps velis eli- cere, cum detestatione teporis & pro- posito emendationis, subiecto affe- ctuosè hymno: *Iesu nostra redemptio:* vel: *Gloria in excelsis Deo.*

Dominica VI. Post Epiphaniam.

*De grano sinapis & fermento.*

Matth. 13.

6. Heb- dom.

post E- piph.

L.

I. **E**Xpende prædicationem euange- licâ, seu prædicatum verbû Dei,

L. 4.

quod

quod regnum cœlorum dicitur, qui reges cœlorum facit sui observatores, rectè comparari grano sinapis: nam sicut illud minimum est exterius, nec specie, nec decore æstimabile; interius verò efficax & calefactivum est: attritum vim suam exserit: seminatum in terra in arborem excrevit, in cuius ramis aves cœli habitent: sic prædicatio evangelica mundo minima & despecta videbatur, quia docet terrena despicere, futura, quæ non videntur, sperare, seipsum abnegare, crucem amare: attrita persecutionibus virtutem suam intus latentem prodidit, atque ita sensim excrevit, & per totum orbem se expandit, ut tot sapientes mundi huius, tot reges, tot populi ad eam completendam conuolârint. Quanta hinc elucet diuina bonitas & sapientia? quantopere nobis hac ratione commendatur humilitas, interna sanctitas, & patientia? Admiratio & laudatio diuinæ potentiæ & sapientiæ, zelus proficiendi in humilitate, sinceritate cordis, & patientia.

II. Quomodo Christus ipse, & quis electus assimiletur sinapi. nam Filius Dei factus homo, licet rex supremus esset, humilis, mansuetus, pauper,

con-

contemptus apparuit : attritus varijs  
 persecutionibus, calumnijs, oppro-  
 brijs, cruciatibus vim suam diuinam  
 exseruit, igne amoris omnes accendit;  
 tandemque excreuit vsque ad dexte-  
 ram Patris, vt omnes Sancti in eo ni-  
 dificent, vt praefiguratum fuit in la-  
 pillo illo exciso de monte sine mani-  
 bus, qui creuit in montem magnum.

*Das 2.*

Similiter quiuis iustus eius exemplo  
 debet esse minimus, id est, humilis, sibi  
 mortuus, mundo crucifixus: atteren-  
 dus & probandus varijs tribulationi-  
 bus, opprobrijs, & persecutionibus,  
 vt videre est in Iob, Dauide, Martyri-  
 bus, alijsque Sanctis: & sic tandem  
 virtus eius intus latens mundo inno-  
 tescet, ipseque indies in gratiâ & san-  
 ctitate proficiens altius exsurget, mul-  
 tosque ad imitationem suarum virtu-  
 tum alliciet. Gratitude, gaudium de  
 exaltatione Christi, zelus illum om-  
 nesque iustos imitandi in humilitate,  
 amore crucis, zelo animarum.

III. Quomodo rectè etiam fermento,  
 quod massam fermentat & condit,  
 assimiletur verbum Dei, Christus in  
 SS. Eucharistiâ, quiuis etiam iustus.  
 Nam verbum Dei fermentat animas,  
 eas immutando, sursum erigendo, sa-  
 pidas.

pidas & gratas Deo reddendo: Christus sumptus in Eucharistiâ miram vim in anima exercet, eam purgando, illuminando, accendendo, in se transformando: Iustus tenetur proximos fermentare, verbo & exemplo eos conando Deo lucrari, Gratitude, devotio erga ven. Sacramentum, zelus animarum.

*Hac sextâ hebdomadâ post Epiphaniam, possent loco meditationis ordinaria, modus secundus & tertius orandi (prout i. p. Indult. c. 11. S. 2. & 3. fusius explicantur) pro cuiusque devotione usurpari, vel aliquæ meditationes succulentiores ex prioribus redditi.*

Finis Meditationum Prima  
partis.

SE.